

EX-LIBRIS
CORONELLI.

F.J. JUNOD. sc.

j'ay autrefois reproché, (dit Mr. Huet Evêque d'Avranches) au pere Petau son acharnament contre joseph Scaliger, homme d'un rare savoir, et de qui il n'avoit jamais reçu aucune offense. il s'excusoit sur ce qu'il s'etoit revolté contre la Religion catholique, dans laquelle il etoit né, et que les Hugenots et Heretiques tiroient trop d'avantage de sa revolte, luy donnant des loüanges outrées, fort au dela son merite. il est vray que les Peres de l'Eglise ne traitoient pas plus humainement les Ennemis de la Religion chretienne. saint Gregoire de Nazianze dans ses steulitentiques, et St. cyrille dans ses livres contre julien, ont repandu toute l'amertume de leur bile contre cet Empereur. Le Pere Petau pouvoit alleguer encore une autre raison de son déchainement, qui le touchoit de pres. c'est que scaliger n'a perdu aucune occasion dans ses Ecrits de maltraiter ses confreres Serarius, clavius, Delrio, et plusieurs autres, et de les défigurer de ses plus noires couleurs. voyez Huetiana pag. 118.

Originem horum scaligeranorum, dicit Morhofius polyHist. cap. 16. p. 185, quod joannes vasanus ab ore scaligeri pendens, sedulo Notaverit, que Scaliger diceret. judicia habet multa, ast sæpe

injuriosa. Basilium vocat superbum, justinum hominem jejunum, Epiphanium hominem rudum, capellum stultum et ridiculum, savilium stultum et superbum, Clavium Bestiam, Villalpandum spiritum miserum, Robortellum et meursium pedantismi inculpat. immo etiam in nationes integras, germanos maxime, nimis est injuriosus. Licet enim Eruditi non dubitant, multa fuisse intermixta à manu maligna.

Les deux Scaligers, pere et le fils, ont ete deux prodiges de savoir, et deux prodiges de vanité. Schoppius a Levé le masque de principauté, dont le pere s'etoit couvert, et a fait voir qu'il s'appelloit jules Bourdon, qu'il etoit né dans une boutique d'Enlumineur, qu'il fut frater sous un chirurgien son oncle paternel, et qu'il fut ensuitte cordelier, mais que l'Elevation de son Esprit et de son courage lui fit aspirer à des plus grandes choses, qu'il quitta le froc, et prit le degré de Docteur en medicine qu'il obtint à padoüe, qu'il Exerça la medecine dans les Etats de venise et en piemont,

et s'attacha en cet Employ à un prelat de la maison
de la Rovere, et le suivit à Agen, dont l'Eveché
lui avoit eté conferé. il s'y maria à une jeune
fille, que quelquesuns ont dit avoir eté fille d'un
Apothiquaire: c'est de là qu'est sorti joseph scaliger,
qui trouvant cette chimere de principauté dans
sa famille, pour ne donner pas le dementi à son
pere, et pour satisfaire à sa propre ambition,
se porta pour Prince, et soutint les fourberies
que son pere avoit controuvées, et pour les rendre
plus vraisemblables, il y mit beaucoup du sien.
sur de tels fondemens il batit ce beau Roman
de sa genealogie adressé à Dousa, qui est à la
tête de ses Epitres, et qui donna si beau jeu
à scioppius pour le refuter. ce schoppius
avoit eté un de ses plus zelez courtisans,
comme on le reconnoit dans ses premiers livres
de critique. mais etant depuis allé à Rome
et s'etant fait catholique, scaliger qui avoit
une Langue dangereuse, dit qu'il etoit allé
lécher les plats des cardinaux, Lingere
patinas cardinalitias.

cela etant raporté a Schoppius, qui outre le zele d'un nouveau converti, et le desir de faire sa cour au sacré colége, étoit plus medisant encore que Scaliger, il alluma toute sa bile contre luy, et alla exprés à verone, à padouë, et a venise, chercher des moyens de faire contre sa pretenduë principauté, et le degrader sans resource par son Scaliger Hypobolimeus. mais avec tout cela, je dirois volontiers comme lipse, que si les deux scaligers n'etoient pas princes, ils meritoient de l'être, par la beauté de leur genie et l'excellence de leur savoir. voiez Huetiana Edit. de paris 1722 in 8°. pag. 18 et Naudeana p. 58. patiniana p. 44. Edit. d'Amsterdam 1703. chevraeana tom. 1 p. 87. et tom. 2 p. 296. Edit. d'Amsterd. 1700 in. 12°. marvilla melanges d'Histoire tom. 3. p. 148 Edit. de Rotterd. 1702 in 12.

DANIELIS HEINSII

in obitum

V. ILLVSTR.

IOSEPHI SCALIGERI

IVL. CÆS. A BVRDEN F.

eruditorum Principis

ORATIONES DVAE.

Accedunt EPICEDIA *eiusdem & aliorum: effigies item ac monumentum Scaligeri, & Principum Veronenſium æri inciſa.*



EX OFFICINA PLANTINIANA

RAPHELENGIJ.

M. D. C. IX.

Lugd. Bat. proſtant apud Lud. Elzeuirium & Andream Cloucquium.



IOSEPHUS IUSTUS SCALIGER
IUL. CÆSARIS A BURDEN F.

ILLVSTRISSIMO VIRO

PETRO IANNINO,

equeſtris dignitatis,

Senatus Diuionenſis principi,

Regi Francorum ab interioribus conſiliis,

& eiusdem Regis

ad Ordines Fœderatæ Belgico-Germaniæ

legato,

DANIEL HEINSIVS. S. D.

Vir Illuſtriſsime,

IOSEPHI Scaligeri hominis admirandi, & in quo propemodum vno hac ætate natura oſtendit, quantum in reliquis poſſet, factum diuinitus videtur, vt natales Gallia, ſepulchrum ſibi vindicaret Batauia. Factum diuinitus videtur, vt cui genti ſubſidium armorum, & auxilium difficillimo ſæpe tempore debuimus, eidem literarum ſplendorem acceptum ferremus. Quibus equidem vel ſolus ille regni veſtri maieſtatem adæquauit: noſtrum vero ſæculum omnibus inuidendum fecit. Nam vt a Franciſco magno illo incipiamus, ſub quo aurea vere ætas apud

 vos

vos exſtitit, qui tot eruditos quot prope homines quotidie videbat, neminē inueniemus tamen, qui cum aliqua in arte excelleret, ſumma admiratione indignus haberetur: qui cum linguam vnā recte didiciſſet, viri docti nomen non tueri putaretur. Nemo vero tanta vel diſcendi audacia vnquam extitit, vt tentaret ſolus omnia: aut felicitate, vt cum ſimul plurima ſperaret, plus conſequeretur tamen quam optaſſet. Nemo qui cum annos ad viuendum paucos a natura accepiſſet, omne id tempus animo impenderet: qui cum vna aliqua in vrbe natus ac eductus eſſet, orbis vniuerſi ciuis videretur: & cum linguas infinitas prope intelligeret, omnes inſtituto ſuo accommodaret, & res totidem coniungeret. Ac pro-

profecto ita exiſtimo , quod ſi vt in fronte oculos, ita in ipſo pectore geſtarent homines , quibus contemplari animum eiusque ornamenta poſſent, nullum ab hinc aliquot ſæculis (patrem coniungo ſemper) pulchrius ſpectaculum eo viro extitiſſe, neque dignius ad quem orbis vniuerſi nationes concurrerent. Nam ſi ſæpe funambuli ſpectandi cauſa aut inuſitatæ alicuius feræ vndique aduolare homines ſolent, neque ſumptui aut laboribus parcunt, aliquid profecto admiratione dignum eſſe oſtendunt, ſed non illud quod mirantur : quia corporis voluptas primas obtinet in nobis , mente autem caligamus. quæ ſi ſatis iudicaret, ſolam virtutem ac ſcientiam admiraretur: ex his voluptatem omnem peteret:

ret:

ret: ab hoc nunquam oculos auerteret: eius fructum vſu ſibi vindicaret. Nunc cum vanitatis pleniſsima ſint omnia, ſæpe in hiſtoriis inuenias, mulum peperiſſe alibi, alibi bouem voce humana locutum eſſe, terra alibi pluiſſe aut ſanguine (& quæ alia veterum hiſtoriæ & nonnunquam noſtræ inter prodigia commemorant,) quaſi minus admiratione dignum eſſet, hac ætate noſtra, natum eſſe in Gallia hominem, qui pauciſsima ignoraret. Quod & tibi ita viſum fuit. Nam cum primum in hanc terram maximis de rebus legatus Roterodami appuliſti, in concurſu omnium & gratulatione prima, cum e ſenatoribus alij alia oſtenderent, præter expectationem Scaligerum extollere cœpiſti: quem

ereptum

ereptum eſſe Galliæ merito conquereбaris. Idem cum vix Hagam veniſſes, plurimi & Ampliſsimi ex te viri audiuerunt. Donec vna gratulatum ad te iuimus. Ibi quæ humanitas tua, quod gaudium, quæ beneuolentia apparuit? qui ſermones vltro habiti citroque fuerunt? cum & ipſe vere literatus eſſes, neque ille ea neſciret, quibus cæteri commendantur, qui nil amplius nouerunt. Quam quidem vtriuſque voluptatem ſicut morbus alterius abrupit, ita beneuolentiam & humanitatem tuam illuſtriorem reddidit: liberalitatis autem immortalem occaſionem dedit. Vidimus & meminimus, cum neque ille egeret, quod virtute & ſapientia abunde diues eſſet, & in tanta fortunæ prolixita-

 te,

te, multa tibi ſupereſſent, alterum offerendo, recuſando alterum ea quæ præcipua habentur, pulcherrimum vtrinque certamen certaſſe. Nemo erat dignior qui daret, nemo qui acciperet. Sed profecto generoſa & inuicta indoles, ea ſtirpe oriunda, quæ tribuere omnia omnibus ſolebat, nondum cum fortuna animum mutauerat: neque effugere tamen potuit, quin cui muneris gratiam faceret, eius beneuolentiæ tantundem deberet. Accipe ergo inferias illius viri, cuius laudes optime cepiſti: accipe poſtremum quod Scaligero perſoluitur officium: accipe non magnum quidem munus, ſed quod nomini inſcriptum tuo, immortale erit. Tua ope Galli, tua Belgæ pacem videmus: tu ſpirantes adhuc

ſangui-

ſanguinem ciuilem animos diuina quadam moderatione temperaſti: gladios & arma ſola eloquentia tua & prudentia fregiſti; & a rege miſſus qualem Gallia non vidit, in hanc ſcenam, in tragœdiam hanc plane intricatam, vere e machina Deus veniſti. Te hiſtoriæ omnes, omnes poſteri loquentur: tu ingenia omnium, omnes ingentes ac præclaras animas æternitati tuæ vectigales habebis; neque maiorem famam accipies a quoquam, ſed dabis. Nos qui & Scaligeri nomine obſtricti tibi ſumus, & noſtro, vtriuſque hoc tibi perſoluimus: in quo vt illius laudes, ita noſtram, vti ſpero, pietatem probabis.

VITA ET RATIO STVDIORVM IOSEPHI SCALIGERI, E VITA IVLII AB EODEM DESCRIPTA.

QVATVOR *fratribus ſolus ego ſuperſum decimus partus matris meæ, natus anno* CIↃ. IↃ. XL, *Aginni Nitiobrigum, pridie Nonas Auguſti, horis quatuordecim poſt meridiem: vt meus natalis Nonis attribuatur, tempore politico. Annus, in quem incidit natalis meus, in omnibus Chronicis, & Annalibus nobilis eſt ardentiſſimis æſtibus, & vindemia Solibus exuſta, præterquam vbi acerba cogi ſolet, vt in Heluetiis, & aliis frigidis tractibus, in quibus eo anno perfectiſſima vini coctura fuit. Ex ſacro lauacro ſuſcepit me in æde Hilariana vir nobilis Gerartus Landa, qui me non de nomine ſuo, quod auerſabatur, ſed Joſephum Iuſtum nominauit. Prius nomen, vt vulgo vſitatius, mihi hæſit: altero raro, niſi a patre etiam iam grandior appellatus ſum. Annos natus vndecim cum Leonardo & Jano Conſtantio fratribus Burdegalam a patre miſſus, triennium primis elementis Latinitatis operam dedi. Jnde peſtilentia exactus ad patrem me recepi. Qui, quandiu apud eum fui, (& quidem, quandiu vixit, fui) a me quotidie declamatiunculam exigebat,*

bat, facto mei arbitrii argumento, quod ex aliqua hiſtoria peterem. Hæc exercitatio & vſus ſtili quotidiani Latine me ſcribere aſſuefecit. Quia vero verſus patris excipiebam, ex hac neceſſitate aliquem ſaporem poetices imbibi. Itaque & verſu & proſa oratione neſcio an aliis, certe patri pro captu ætatis ſatisfaciebam. vt aliquando me ſeductum rogaret, vnde ſententias illas, & colores depromerem. Ego id, quod erat, mea illa, & de meo eſſe, reſpondebam. Sed admirationem apud amicos diſſimulare non potuit Tragœdiæ Oedipi prima fœtura ingenii mei. In quam, quantum ætas illa patiebatur (minor enim annorum XVII *eram) omnia poetices ornamenta & verborum delectum impenderam. Et ſane, ſi bene memini, eiuſmodi erat ille abortiuus partus, vt eius me ſenem pœnitere non debeat. Anno ætatis meæ decimonono Lutetiam poſt obitum patris petii literarum Græcarum amore, quas qui neſcirent, omnia neſcire putabam. Poſtquam menſes duos operam Adriano Turnebo dediſſem, quia deſtitutus aliis præſidiis operam omnem in eius doctiſſimo auditorio ludebam, in muſeum me abdidi, & in illo piſtrino incluſus, quod ex aliis non potueram, me magiſtro diſcere experiebar. Igitur vix delibatis coniugationibus Græcis, Homerum cum interpretatione arreptum vno & viginti diebus totum didici: poeticæ vero dialecti veſtigiis inſiſtens Grammaticam mihi ipſe formaui: neque vllam aliam didici, quam quæ mihi ex analogia verborum Homericorum obſeruata fuit. Reliquos vero poetas Græcos*

 omnes

omnes intra quatuor menſes deuoraui. Neque vllum oratorem, aut hiſtoricum prius attigi, quam poetas omnes tenerem. Biennium continuum Græcis literis impenderam, cum ad Hebræas me impetus animi rapit. Et quamuis ne vnam quidem literulam in ea lingua noſſem: tamen ad eam diſcendam nullo alio magiſtro, quam me ipſo vſus ſum. Intra illud triennium, & deinceps multa verſu in vtroque ſermone luſimus: multa de Latinis Græca fecimus, in quibus ſtuduimus, vt non ſolum Græca eſſent, ſed etiam ne aliena viderentur. Multi enim hodie cum laude Græcos verſus ſcribunt, ſed pauci cum ea felicitate, quam in Græcis exigas. Poteramus & edere noſtra, appoſitis ætatis annis, vt fecit Politianus in ſuis Græcis poematiis, quæ, præter pauca, digna erant, quæ in adoleſcente potius amaremus, quam quæ a ſeniore Politiano venditarentur. Sed noſtra edere, odium ambitionis, a qua ſemper alieni fuimus, prohibuit: quamuis ea edere & nunc quidem ſine fraude noſtra liceret. Scripſi enim illa non tanquam publicaturus, ſed tanquam amabili inſaniæ, quæ nos ludebat, indulgens. Teſtor vero meam culpam non eſſe, ſi inuito me, aut iniuſſo, quidam verſus clauſtra refregerunt. Multa in auctores vtriuſque linguæ obſeruauimus, ex quibus immanes partus naſci poſſent Variarum, Antiquarum Lectionum, Miſcellaneorum, & aliorum eiuſcemodi, quibus hodie Philologorum ambitio laſciuire ſolet. Non quod eiuſcemodi ſcriptionis genus inutile putem, aut in vllo ſcriptore hæc reprehendam: non enim

ita inſanimus: ſed quia talia ab aliis edi, quam a nobis, malumus. Ut tamen nobis vigiliarum noſtrarum fructus conſtaret, interpretandos & emaculandos auctores integros ſuſcepimus. Hoc enim ſine ulla ambitionis ſuſpicione nos recte facere poſſe iudicauimus. In quibus auctoribus ſi eruditis lectoribus non ſatisfecimus, id quod nos non fugit: excuſauerit totum genus vitæ meæ deſultorium, & otij, quo maxime ſtudia aluntur, penuria. Nam ab anno CIↃ. IↃ. LXIII, *ex quo in contubernio generoſi Lodouici Caſtanei Rupipozæi eſſe cœpi, ad hanc vſque diem, nullum tempus mihi aut a peregrinationibus, aut ab animi perturbationibus vacuum fuiſſe memini: vt maleuoli intelligant, otium, quod ipſis ad maledicendum ſuperfuit, nobis ſemper ad diſcendum defuiſſe. Immane enim quot & quantos hoſtes peperit mihi non iniuria priuata vlla (nihil enim mihi conſciui, quo alicuius boni animum offenderem) ſed propenſa literas iuuandi voluntas: cuius male relatam mihi gratiam dolerem, niſi viderem hoc genus hominum morbo quodam animi potius, quam iudicio ad hoc agi. Quotidie aliquis mihi ſuccreſcit aut furioſus, aut flagitioſus, aut indoctus, qui mihi oblatret. Neque enim vllus profecto hactenus oblatrauit, qui non vna ex illis tribus virtutibus, aut etiam tribus ſimul, exornatus fuerit. Quod me multum conſolatur. Contrarias enim iſtis moribus virtutes oportet eſſe, quas ipſi in me inſectantur. &c.*

IANI DOVSÆ F.
in effigiem
IOSEPHI SCALIGERI,
PRIVSQVAM IN BATAVIAM
veniſſet.

TEMPORIS ô priſci vindex, ô gloria noſtri,
O patris, ô patrij pignora certa Poli,
(Nam per te atque in te iampridem, SCALIGER, vno
Redditus ille orbi, redditus iſte ſibi eſt)
Ipſe tibi & Pater & Cælum, dum pectore ſacro
Tanta capis cœli munera, tanta Patris:
Non te, qui diæ cepiſti fulgure mentis
Omnia, vel carmen vel tabula iſta capit.
Tantum vmbræ eſt hæc vmbra tuæ, quam mittis, abeſſe
Totus adhuc Batauis ne videare tuis;
*Communi tecum vnde * Duces à ſanguine ducti,*
Atque vbi ſunt generis pignora tanta tui.
Namque & maternos attingunt ſtemmata Boios,
Cæſaribus proauis & tibi fulta domus.
At tu Caſtalidum huc transfer pia regna ſororum,
Omnia quæ regni dant tibi iura ſui.
Vt mens te capiat, præſens te ſuggere nobis;
Et lingua vt fando ſit ſatis, ipſe veni.
Iam Batauis luceſce tuis, atque exere flammas,
Queis ſine vel medio nox ſilet atra die.
Tunc non ad ſuperos terra hæc caput efferet orbes,
Æmula ſed ſupero mox erit illa Polo;
Proque ſolo cælum fiet, quod Sole perenni
Nominis irradiet ſplendida fama tui.

* Albertus Bauarus Ludouici Imperat. filius, Hollandiæ Comes, cuius ſoror nupta Cani Scaligero.

DANIELIS HEINSII
IN
IOSEPHI SCALIGERI
OBITVM
Funebris Oratio,

Habita in auditorio Theologico, ſtatim ab exequiis, XXV Januarij,

clɔ. Iɔ. c. ix.

Franciſcus Flussas Candalla de Scaligeri nobili proſapia teſtatur ad Lectores in Præfat. ante Pymandrum
Candallam Lib. cix. laudat Thuanus.

OMNIA nata interire, neque quicquam immortale eſſe in terris, præter vim mentis, & ingenij opera, hodiernus maxime dies docuit. Mandauimus, mandauimus terræ miſerũ illud & emaciatum Ioſephi Scaligeri corpuſculum, in quo magnus ille literarum princeps animus, annos ſexaginta & octo, tanquam hoſpes præſtantiſſimus, in anguſto domicilio commoratus eſt; in quo tot præclara opera, tot diuina monumenta, tot cum omni poſteritate victura ſemper ſcripta edidit. Qua profecto morte, quanquam ita fractum animo & debilitatum eſſe me ſentiam, vt ſi lachrimis lingua, mens dolore oppreſſa ipſo conticeſcat, veniam mihi ab omnibus deberi exiſtimem: metuo tamen, ne Ampliſſimi quidam & Clariſſimi viri, qui vbique terrarum nomen Scaligeri, non vt eruditi hominis, ſed vt eruditionis vſurpare ſolent, meram temeritatem in me & audaciam accuſent. A quibus ego tantum abeſt vt diſſentiam aut abire poſſim, vt nil præter pietatem mihi, quod opponere iis queam, eſſe

videam relictum. Nam ſiue aliquid dicendum de Scaligero erat, multos in hoc ipſo ordine viros præſtantes, neminem autem non me magis eruditum video: ſiue aliquid pro dignitate illius, vereor vt omnibus profecto fuerit tacendum. Cum vero & de rebus cæleſtibus, multi ita agant quotidie, non vt iis laudem addere conentur, quod vel ſuperuacuum eſt vel ineptum, ſed vt admirationem earum liberam omnibus relinquant; nobis ſola virtutum illius commemoratio ſufficiet, commendationem vero ſingularum iis relinquemus, qui aut prodigi exiſtimationis ſuæ ſunt, aut ſuarum imbecillitatem virium cum illius magnitudine minus recte contenderunt. Si nobilitatem tanti feciſſet, regibus ac principibus ortus eſt: ſi maiorum res geſtas, nemo plura in eadem gente trophæa, nemo plures numerare victorias potuiſſet: ſi poſtremo animi præſtantia, quæ in ſtirpe Scaligerorum eluxit, cenſeri voluiſſet, omnes hiſtorias, omnes annales teſtes habebat: neque quoquam oculos conuertere poterat, vbi non domeſticam laudem inueniret. Verum enimuero ſupra fortunam

ani-

animus, immortalitatis ſtudioſa mens, omnium ſcientiarum capax ingenium, noctes atque dies inquies, ſtudio æternitatis angebatur. quæ è caducarum occupatione rerum, ex humano puluere & ſordibus, vim ingeniorum, fatali quadam & occulta lege, ad ſe trahit. Ad quam quidem non à pædagogo aliquo, non à triuiali ludimagiſtro, non à mercenario homine, ſed ab eo cuius nomen ſine horrore & relligione commemorare non poſſum, ab incomparabili & diuino heroe, Iulio Scaligero deductus eſt: vt eundem virum & nobilitatis ſuæ, & vitæ, & exiſtimationis autorẽ haberet. Nam cum magnus ille ſenex, paupertate & inuidia ſuorum oppreſſus, nihil præter generis ſplendorem, durum onus miſeris hominibus, reliquum videret, paria cum fatorum acerbitate facere ſtatuit, & quam amplius tueri nobilitatem non poſſet, eius ſine ſtrepitu vitæ, ſolam conſcientiam ſeruare. Quippe cum plurima ſtipendia feciſſet, & ingenitam illam a natura heroibus ferocitatem, prima ætate concoquere ocioſe domi ſine aſſiduis facinoribus, non potuiſſet, tandem iis artibus totum ſe dedit, quibus

filium ſe digne inſtruxit. Cuius operæ & laboris ſui tantum ipſe fructum tulit, vt cum pueri indolem intueretur, nunquam lachrimas tenere poſſet. Huius enim ſolo aſpectu de ruina gentis admonebatur, cui cum fortuna totis viribus incubuiſſet, magnitudinem ingenij & ſublimitatem animi, potius ad dolorem quam ad conſolationem reliquiſſet. Nam vt ignis transferendo non extinguitur, plerunque vero acrius erumpit: ita generoſitatem in duobus illis viris, dignitas erepta, opulentia maiorum cum imperio amiſſa, magis inflammabant. Vt iam tum Ioſephus noſter, principatum nouum agitare videretur: quem profecto, quouis audiente dicam principe, tandem eſt conſecutus. Anno ergo decimo ætatis & nono Lutetiam profectus eſt: in qua vrbe audaciſſimo voto animum obſtrinxit. Nam cum terminos ſcientiarum eſſe certos ac limites videret, vni autem immorari, animi eſſe anguſti iudicaret, omnes diſciplinas primus poſt memoriam hominum vna cum linguis peruagari aggreſſus eſt. Cum vero omnium ſcientiarum matrem & quaſi fontem Græciam eſſe didiciſſet,

præter-

prætermiſſo omni voluptatis ſtudio, tanta vel contentione vel celeritate diſcendi, linguam illam arripuit, vt Grammaticorum tricis, niſi quas e lectione poetarum ſibi ipſe formaret, prætermiſſis, vno & viginti diebus Homerum, reliquos intra quartum menſem poetas, cæteros autem intra biennium ſcriptores perdiſceret. Hac moleſtia ſolutus, linguam ſacram aggreſſus eſt. Memini frequenter audiuiſſe ex illo, ſe cum in Pariſiorum vrbe eo verſaretur tempore, quo notiſſima illa & infanda laniena ſæuiret, adeo Hebræis literis intentum ſediſſe, vt nec fremitum armorum, neque puerorum gemitus, aut mulierum lamenta, neque hominum clamorem aliquamdiu audiret. Harum mira ſuauitate illectus, cum quotidie tanquam ignis quidam, feruor creſceret diſcendi, Chaldæam, Arabicam, Punicam, Æthiopicam, Perſicam, & præcipue Syriacam coniunxit. Ita ad philoſophiam magno animo ac matheſin contendit. Erat hac ætate maximum ac celeberrimum Cuiacij nomen, cui principatum iuris omnes deferebant: cum hoc ita annos quinque vixit, vt iucunditatem literarum

penitus

penitus ex animo deleret, & cum præceptore ſuo, quo & poſtea vſus eſt amico, totus in collatione legum hæreret. Ac ne quicquam penitus deeſſet, cum theologorum ac præſertim antiquorum ſcripta diligenter pertractaret, Theodori Bezæ cauſa diu Geneuæ commoratus eſt. Nam de magno Hippocrate quid dicam, cuius aliquot libellos olim editos Lutetiæ notis illuſtrauit: cuius Aphoriſmos charactere Celſi in Latinum ſermonem conuertit? Illa ergo eruditione, tam inaudita in eodem homine ſcientia inſtructus, ſimul explicare vela ingenij, & omniſciam illam ſuam memoriã incepit, ac ſecundo vento famam experiri, ſtupere primo omnes, neque, vt de homine amplius, ſed vt nouo aliquo de monſtro loquebantur. Theologi, iuriſconſulti, medici, ſed præſertim optimarum literarum periti, exclamare, hærere, nulla aut ſibi laude aut illi ſatisfacere videri. Alij abyſſum eruditionis, alij ſcientiarum mare; alij doctorum ſolem, alij patris diuini ſobolem diuinam, alij genus Deorum, alij perpetuum literarum dictatorem, alij maximum naturæ opus & miraculum, alij extremum naturæ

turæ conatum, alij aliter vocare: quorum teſtimonia ſelecta, breui, vt cõſenſum omnium doctorum æmuli intelligant, pariter a nobis edentur. Donec nimia virtute, & vt ipſe iudicabat, immodeſtis aliorum laudibus, improborum maleuolentiam mereri cœpit. Verum enim vero, fremãt, indignẽtur, cælum terræ miſceant, aut indocti qui de eruditione tanta iudicare neſciunt, aut maleuoli qui ferre non poſſunt, nullum certius virtutis ſuæ ſignum quã inuidiam reliquit. Nam ſi principes Scaligeros maiores eius videamus, quorum annos mille & ducentos familiam ſtetiſſe omnes teſtantur; qui potentia, victorijs, militari laude, animi ac corporis præſtantia, etiam æqualibus antecelluerunt; nemo tantam iſtis omnibus inuidiam, quantam noſter ille literator (ita enim homines feſtiui vocant) ac infelix antiquarius ſuſtinuit. Nemo vſquam improborum fuit, qui virtutem eius, nemo imperitus qui perferre ſcientiam poſſet: quos, vt iterum hoc dicam, vel quod in ſe concitauit, vel quod fortiter contempſit, diuinæ vtrunque ac inuſitatæ argumẽtum eſt præſtantiæ. Sicut enim gloria e virtute,

ita æmulatio ex hac ipſa atque inuidia expectanda ſunt. Eam vero ſi quis ita metuit, vt ne cuiquam improborũ diſplicere poſſit, regiam virtutis viam deſerendam arbitretur, proditor ſignorum ac deſertor eſt. Et profecto dignus omnium contemptu eſſe incipit, qui bonorum laudem fortiter tueri non audet: quæ aut ſemel eſt renunciãda, aut inuicto animo cum improbitate dimicandum eſt. Id qui facere non poteſt, ita ſeſe comparet, vt in locum ſolum aliquem concedat, vbi ne conſpectum quidem magni alicuius hominis videre cogatur; & quod vitæ eſt reliquũ, in ſolius voluptatis ſtudio cõſumat. Ibi cogitationes, ibi animũ, ibi ſpem omnẽ vitæ habeat. In ſcortorum ſinu & amplexibus, inter temulẽtos ipſe temulẽtior, omne æuum aut ebrietate grauis, aut onuſtus crapula traducat: liuorem vero ac inuidiam ne expectet quidem; quæ non ſine ratione Deus ac natura inter ſe diſiunxit. Etenim, vt in prœlio clypeum qui abiicit & virtuti nuncium remittit, nõ modo ab hominibus ſed & a iumentis paulo poſt calcatur & ſub pedibus perit: ita qui inuidiam ferre non poteſt, ferre contem-

ptum

ptum cogitur, qui in locum virtutis continuo ſuccedit. Mihi vero paſtus atque obſonium magnarum animarum & quaſi cibus quidam æmulatio ac liuor videtur: neque raro poetas noſtros primos ſapientiæ autores admiratus ſum. Quoties enim Herculem eorum video, qui vt abſolutum virtutis exemplum ab iis proponitur, quoties illud tergum quod tribuere illi ſolent, illos neruos, illud pectus, illos toros mecum ipſe contemplor, vere homines diuinos fuiſſe iudico, qui vt talis euaderet, inuidiam illi nutricem appoſuerunt: cuius tanquam in palæſtra ictu crebro indureſceret: a qua laceſſitus quamdiu viueret, cœlum tandem immortalitate compos aſcendit. Quippe ſicut ventus, ſi in aere aperto erret, libertate illa perit ac diffunditur; ſin in terræ penetralibus cohibeatur, ipſam mouet ac cum vi euadit: ita quibus generoſus ille ſanguis in præcordijs concaluit, perrumpere ad æternitatem, ipſa inuidia ſpectante, quam ire malunt. neque melius heroes quam per nebulonum humeros in cœlum aſſurgere videntur. Quod ſi cuiquam vnquam, noſtro certe contigit: cuius ingenium e puriſſimo

riſſimo igne deſumptum, ſine his calumniarum flabellis, redire eo non poterat, vnde profectum erat. Multa prius terris debebat, quæ vt concitato animo ita maiore conſcripſit: quoties cum improbitate pedem conferret, & iuſtiſſimo dolori habenas laxaret. Sæpe calumnijs, ſæpe mendacijs admonendus erat quis eſſet: vt ex odij acerbitate magnitudinem ſuam intelligeret, & de gente ſua cogitaret: a qua, cætera cum amiſiſſet, nihil quam inuidiam priuato maiorem retinuit. Illud pignus nobiliſſimæ ſtirpis, hanc hæreditatem a principibus ac regibus accepit: hanc inuicto animo ad ſupremum vſque ſpiritum ſeruauit: hoc poſtremo nominis celebritate, hoc integritate vitæ, ab improbitate ipſa extorſit. Nam vt nihil hic de moribus dicam, vt præclaram continentiam, temperantiam, ſobrietatem omittam, ſingularem & cœleſtem in heroe noſtro animi conſtantiam quis non admiretur? Qui vt ſemel partes has amplexus fuit, nullis aduerſariorum precibus, nullis promiſſis, nullis dignitatibus, permoueri eo vſque potuit, vt vel cuiquam ſpem præbere ſui vellet: ne vel mini-

ma ſuſpicione viri pij, aut honeſti ciuis defuiſſe officio videri poſſet. Credite, Auditores Ornatiſſimi, nihil eſſe ambitione potentius, quoties præſertim animum ſublimem & erectum inuaſit: omnia labefactat, omnia peruertit, omni machina & tormēto fortius mentis mœnia expugnat: neque quicquam penſi præter ſemet ipſa habere ſolet. & vt ſanguine taurino adamantem emolliri aiunt, ita robuſtiſſima conſilia attactu illius collabaſcunt. Huius vero ille vi & arbitrio mentem penitus emancipatam geſſit. Iam de opum cōtemptu quid dicam? Nouimus plerique qui hic ſumus, quidam etiam viderunt, cum Illuſtris Nobiliſſimusque vir Petrus Ianninus, Diuionenſis Senatus princeps, regi Gallorum a conſiliis & ad Belgas hodie legatus, verum togæ decus, & Muſarum patronus, magnam illi vim pecuniarū fruſtra bis offerri iuſſiſſet, tandem in hanc vrbem aliquot ante mortē eius diebus veniſſe, & auctoritatem ſuā muneri addidiſſe ac preces: neque tamen impetraſſe, vt quod alij optare ſolent ſenex noſter vel rogatus admitteret. Quo mihi facto tam excelſo ip-

ſam fortunam pugno percuſſiſſe videtur, & leuiſſimam illam meretriculam, quæ tã male de maioribus eius merita eſſet, domo & a foribus ſuis exegiſſe: ac vt res ſuas ſibi haberet fortiter iuſſiſſe. Videtur ante mortem, quæ iam tum imminebat, aliquod illuſtre documentum virtutis ſuæ relinquere amicis voluiſſe, quod calumniari aduerſarii facilius quam imitari poſſent: quorum nemo tam perfecte eſt ſapiens, qui non gloriam Scaligeri lubentius contemnat, quam virtutes imitetur. Dicerem de reliquis, niſi quoſdam eſſe ſcirem, qui ne hæc quidem ſatis æquo animo audire poſſunt. Nunc de meritis in Academiam aliquid dicendum eſt. Anni ſex propemodum & decem ſunt, cum illuſtres huius patriæ patres, curatores, ac conſules, inter arma quibus tum oppugnabantur, inter maxima & aſſidua pro libertate certamina, Galliæ Palladium ſuum eripuerunt, & præcipuum Europæ nomen (ita enim vere iudicabãt) liberali ſtipendio in hanc vrbem vocarunt. Qui mihi dies, vt a curatore olim noſtro Iano Douſa ſapienter dictum eſt, alter Academiæ natalis videtur. Nam cum liberales

rales diſciplinæ, & earum candidati ducem ſuum Iuſtum Lipſium, ſuauiſſimæ quidem ſed inimitabilis, & vt ipſe iudicabat, ne tentandæ quidem aliis eloquentiæ, virum, amiſiſſent, pleraque iuuentus autem miſera æmulatione hominis Clariſſimi abrepta, & iam præceptore ſuo deſtituta, cuius ſcripta adumbrare, quam monenti recte credere malebat, quæ feliciter exprimere non poterat, ſtulte tamen ſequi optaret, magnũ in diſcrimen literaria res venerat. Si quis ſcribere Latine vellet, a Pacuuio vſque & Ennio demortua accerſebantur verba, ſaltitabant periodi, macra & ieiuna oratio, omni ſucco deſtituta & copia, punctulis quibuſdam & alluſiunculis, aut præciſis colis & interrogatiunculis abrupta, nauſeam ſui & faſtidium pariebat. Hiſtriones eſſe ſcenicos dixiſſes, aut infelix claudicantium agmen, qui chorago intus rem gerente ſpectatores cum tibicine oblectant, & dũ maximo opere ſubinde exilire conantur, cadunt potius quam eunt. Si quis locum vnum Nonij emendaſſet aut Feſti, alibi literulam aut ſyllabam reſtituiſſet, alibi eieciſſet, & hunc ludum nugarum ſine ſolida

cogni-

cognitione rerũ fortiter geſſiſſet, Troiam expugnaſſe videbatur. Et hos tamen, ſi Dîs atque hominibus placet, Criticos vocabant. Quam contagionem ac peſtem ſola aduentus ſui præſentia magnus ille Apollo ſtitit. Qui inaffectato ſplendore, maſcula oratione & robuſta, ſtyli maieſtate propria quadam & quaſi gentili, miſeris erronibus pudorem incuſſit: tot vero artes, linguas, diſciplinas, ac ſcientias coniunxit, vt ſi illa ſcire literatorem omnia oporteat, vere vobis affirmare poſſim, neminem poſt illum literatorem extiturum eſſe: reliquos vero quotquot literas contemnunt, multo pauciora ſcire. Edidit in hac ipſa vrbe, vt minora omnia omittam, librũ quem de tempore emendando conſcripſit (nihil enim ad ſecundam cura prior) de quo opere nemo vnquam ſolus iudicare potuit. Edidit immenſum illud & Herculeum opus ſenex ac affecta ætate, in quo Chronicon Euſebij recenſet, omnium hiſtoricorum ac chronographorum errores notat, totam eccleſiaſticam ac profanam antiquitatem illuſtrat. In quo quidem opere ita illuſtriſſimum ac venerandum ſenem intentum vidimus,

dimus, vt cum ſæpius mane ad eum veniſſem, veſpere in eodem eum loco deprehẽderem: neque cibus aut potus, ac ne ipſe quidem interdum ſomnus, reuocare ab inſtituto animi intentionem vllo modo poſſet. Si nil præter gloriam ſpectaſſet, plauſtra notarum in autores omnes dare potuiſſet: quas diſiectas temere & ſparſas, ne componere quidem ipſe dignabatur, ac ſine vlla exceptione cum amicis communicabat. Et inueniuntur nonnulli, qui quod nullas e ſuggeſtu lectiones habuerit, accuſare eum audent: quaſi vero non & quidam inter nos ſint qui nil ſcribant: cum ab auditoribus lectio excipiatur & mox pereat; ſcripta ab orbe toto perlegantur, & ſi genius cum cura accedat, nunquam intermoriantur. Domum vero illius, quaſi oraculum fuiſſe quoddam & delubrum, ad quod omnes ventitarent, qui de rebus dubitarent aut verbis, nemo ignorare poteſt. Veniebant omnium ordinum, omnium ætatum viri, niſi qui contemnere virtutem quam admirari mallent. Quem autem improbi aut ignaui accuſare poſſunt, ſi quæ diſcere ex eo noluerunt, docere eos non

potuit? aut cur negligentiæ ſuæ pœnas a clariſſimi innocentia viri depoſcunt? Quid moleſtiam epiſtolarum, & ſcribendi negotium recenſeam, quo propemodum ſolo perire ſibi diem ſæpe querebatur. Quotidie aut Galli, aut Germani, aut Itali, aut Angli aliquid ex eo quærebant, cui reſpõdendum eſſet. Nemo enim dubitabat, quin quæ cuncti vbique ignorarent, vnus in hac vrbe eſſet, qui ſine vlla explicare moleſtia poſſet. Fuit fuit illud tempus, cum in vnica huius ciuitatis domo, vnus homo plures linguas quam Europæorum quiſquam teneret. Fuit fuit illud tempus, cum vnius in hac vrbe viri domus orbis vniuerſi muſeum eſſet. Cum remoti Maronitæ & Arabes, Syri & Æthiopes, Perſæ & ex Indis nonnulli eum in hac vrbe hominem haberent, cui mentem animi lingua interprete explicare poſſent. Hæc extincta, euerſa, deleta, præter nomen eius, nunc ſunt omnia: neque vllum niſi ex eiuſdem liberalitate regia ſolatiũ relictum eſt. Nam cum amplius prodeſſe præſens Academiæ non poſſet, totam peregrinæ eruditionis ſupellectilem, huic ipſi reliquit. Qua iam

omnes

omnes hac in parte bibliothecas prouocamus. Verum quo præclarius tuum hoc munus, magne heros, eſſe omnes fatemur, eo magis imbecillitatem noſtram agnoſcimus. Nam vt arma Achillis eo interfecto nemo ne mouere quidem poterat: ita tuum illud ſapientiæ inſtrumentum, omnes videbunt, nemo vniuerſo forte vnquam vtetur. Sed & illud quoque magnitudinis tuæ indicium futurum eſt. Quotquot enim ibi volumina relicta erunt, totidem de ignorantia humana & inuidia ſpolia videbimus: toties occulta magni tui nominis mentem animumque noſtrum inflammabit memoria: & qui laudes tuas prædicare nolunt, eruditionem tamen tuã admirari cogentur. Tu vero, o excelſa anima, quæ ſoluta parte imbecilliore tui, de liuore, de fortuna, & poſtremo morte ipſa iam triumphas, quam inſigni vultus conſtantia, magna mentis præſentia, ſine vllo gemitu aut mœrore diu venientem fortiter vidiſti, tandem etiam ſuſtinuiſti, qui ingrato orbi, & qui maieſtatem gentis tuæ in conditione tua ferre non poſſet, maxima cum voluptate, illum tuum regum princi-

pumque traducem ſpiritũ ſurripuiſti, iam in dignitatem vindicata tuam ſpatia immenſa aeris peruagaris: iam quam viuo inuidere gloriam homines malebant, ſaltem ſepulto concedent. Quicquid tui aliquis odiſſe poterat, partem eius morbi vis paulatim conſumpſit; quod e morbo reſtabat, tellus iam tenet. Tu in ore, in animo eris omnium, nominisque magnitudine orbem vniuerſum, diuturnitate autem famæ vaſtam temporum profunditatem æquabis. Salue vera & poſtrema ſoboles Scaligerorum, ſalue heroum ſanguis, ſalue literarum princeps, ſalue inuidiæ victor, ſalue domitor monſtrorum; ſalue, aue, & æternum vale. Quod ſi quicquam cogitationum humanarum in te eſt relictum, ſi tuorum curam adhuc geris, ſi qui te parentis, præceptoris loco ſemper coluit, quem tu filiorum primogenitum vocare ſoles, ad quem ex ſanctiſſima hæreditate tua, quam maiorem tibi eſſe non ſinebat probitas, partem peruenire aliquam voluiſti, cui ſcripta tua, hoc eſt ingenij tui pupillos commiſiſti, ſi illius in hac luce conſtitutus, in hac gratulatione tuorum, inter Iulij tui ample-

amplexus, in quos totus iam effunderis, ſi mei, mei inquam meminiſſe adhuc potes, o pater, accipe poſtremum hoc munus, quod cum vitæ meæ acerbitate, cum lachrymis, cum ſordibus & gemitu a me tibi offertur. Ego orbus optimo parente, præceptore deſtitutus, iucundiſſimo omnium ſtudiorum teſte ac patrono priuatus, inter hoſtes literarum, & humani generis propudia, in calumniarum & maleuolentiæ cœno volutari porro pergam: donec tecum & cum ipſa æternitate coniungar. Vos autem, Nobiliſſimi, Ampliſſimi, Clariſſimi viri, vosque præſtantiſſima ac lectiſſima iuuentus, nunquam in hoc auditorio auguſtum Scaligeri vultum videbitis: cuius corpore cum vacuum hunc locum videtis, omnibus ſcientiis eius ac virtutibus vacuam Academiam eſſe cogitate.

DIXI.

complectaris, in quos tota ſtatim effunderis, ſi ues, mei inquam meminiſſe adhuc potes, quæſo, accipe poſtremum hoc munus quod cum vitæ meæ acerbitate, cum lacrymis, cum ſordibus & gemitu a me tibi offertur. Ego orbus optimo patrono & præceptore deſtitutus, iucundiſſimo otium ſtudiorum teſte ac patrono priuatus, inter hoſtes literarum, & humani generis propudia, in calumniantium & maleuolentiæ oceano volutari porro pergam: donec tecum & cum ipſa æternitate coniungat. Vos autem, Nobiliſſimi, Ampliſſimi, Clariſſimi viri, vosque præſtantiſſima ac lectiſſima Iuuentus, nunquam in hoc auditorio auguſtum Scaligeri vultum videbitis: cuius corpore cum vacuum hunc locum videtis, omnibus ſcientiis eius ac virtutibus vacuam Academiam eſſe cogitate.

FINIS.

DANIELIS HEINSII
ORATIO II,

Ad Ampliſsimos Academiæ Curatores,
& Vrbis Conſules,

DE
MONVMENTO
IOSEPHO SCALIGERO

ab iis decreto.

CVM Ioſephum Scaligerum, optimarum artium principem in hanc vrbem euocaſtis, nemini dubium eſſe potuit, quin quæ vbique ſapientiæ ſtudia iacerent, ea copiis veſtris atque induſtria in hac vrbe viuere ac ſpirare inciperent: cum eidem autem in hac ipſa ciuitate feliciter defuncto, monumentum publice erigendum decreuiſtis, videmini mihi gloriam & exiſtimationem veſtram hoc eodem in marmore, in quo nomen eius, inſculpſiſſe. Videmini cum immortalitate illius viri contendere, & iiſdem quibus ille alis ad æternitatem eniti. Nam ſi quiſquam poſt memoriam hominum, cui mori neceſſe eſſet, omnem mortis vim ac poteſtatem euaſit; ſi quis altius ſepulchro ſuo iacet, & cum corpus naturæ conceſſerit, gloriam cum vniuerſitate rerum æquauit; is profecto ille eſt, cui cum nullos viuo amplius poſſetis, mortuo hunc honorem exhibuiſtis. Is Ioſephus Scaliger eſt, inquam, qui non admirationem ſui ſed ſtuporem poſteris reliquit. Cuius incredibile ingenium, tanquã flam-

ma quædam aut fax publica, e cœlo delapſa & in terras demiſſa, artes omnes omnes diſciplinas illuſtrauit: cuius inexhauſta memoria, omnium rerum ac linguarum receptaculum & profunda quædam vorago fuit. In quo ipſa natura experiri voluit, vtrum plura obtrectare improbi, an mirari eruditi ac honeſti poſſent. Qui imperio maiorum exutus, dignitate ſpoliatus, ſæuientis impetum fortunæ primus retardauit: quæ cum tanquam temulenta quædam ac inſana fœmina, in familia illuſtriſſima, omnia raptaret, laceraret, frangeret, immortalitate literarum illam exarmauit: ſuis autem, cum iam cætera non poſſet, dignitatem ereptam, & exiſtimationem reddidit. Neque dubium eſt quin quod veſtrum de hoc homine iudicium fuerit, orbis vniuerſus iam expectet, quin opinionem de hoc viro tam cœleſti ſuam, omnes quæ vbique viuunt gentes, confirmari a vobis deſiderent: quin ſuffragium veſtrum vltima propemodum Barbaria, de tam inaudita hactenus virtute poſcat & efflagitet. Sed præcipue terrarum illa regina, parens illa optima ingeniorum & nutrix Gallia, quæ ciuilibus

libus vexata diſcordiis, ſanguine ſuorum inuoluta ac cædibus, virum hunc tantum, inuita vobis tradidit, & vt mater quædam animi impos & de poteſtate mẽtis tot calamitatibus deiecta, ab vberibus ſuis pignus hoc auelli paſſa eſt; nunc paulatim pace recreata, & amore literarum flagrans, ſolum hunc loquitur, miratur, obſtupeſcit, in illius laudibus defixa hæret, & cũ adhuc viuum & ſpirantem fouere & amplecti non potuerit, ſaltem vltimum defuncto honorem perſoluere deſiderauit; animo nunc toto fieri id a vobis poſtulat, & poſtremum hoc decretum, tanquam voluntatis veſtræ teſtem, implorat. Etenim ſi, vt prudenter a Solone dictum fuit, finis expectandus eſt, vt recte iudicetur, & poſt Actum fabulæ ſupremum, plauſus excitatur: Iacet ille eruditi orbis ſplendor, illa fama literarum ac anima, & ſupremum a vobis debitumque virtuti ſuæ ſuffragium requirit. Non quo magis innoteſcat, qui celebritatem ſuam iam vbique diffudit: non vt eruditis commendetur, qui iam princeps literarum ore omnium & Apollo Muſarum iudicatus eſt: ſed vt nerui inuidiæ ac poplites, tan-

 quam

quam gladio quodam & acutiſſimo mucrone, teſtimonio hoc veſtro ſuccidantur, vt calumniæ iugulus petatur: quæ vt bellua immanis ac cruenta, adhuc cineres extincti & oſſa inuadit; adhuc rebus humanis exemptum vltra mortem perſequitur; neque odii ſui finem ibi ponit, vbi vitæ finem ipſa Natura poſuit. Nam cum reliquis hominibus conditionis ſuæ patrocinetur imbecillitas, cuius proprium eſt errare & labi: huic ſoli nihil ignoſcendum putant, qui tantopere oderunt. Sed quemadmodum in Siculo mari Scyllam eſſe quandam fabulantur, formoſiſſimam puellam, cuius inguina perpetuo allatrant canes: ita omnes magni illius viri errores ventilant & excutiunt portenta quædam & abortus literarum; ingenii autem vim ac maieſtatem, neque imitari velint ſi poſſint, neque poſſint ſi velint. Qui vt magis recordatione tam præclaræ virtutis vulnerentur, & vt magis odiſſe ea incipiant quæ mirari ſatis non poſſent, niſi tales eſſent, non in chartis tantum ſicut antea & libris, verum etiam in ſaxis ac lapidibus, laudes Scaligeri videbunt. Quæ cum calamo pro dignitate ſcribi non poſ-


ſent,

ſent, ferro admodum profunde in marmore incidendæ fuerunt. neque in priuatis hominum muſeis aut tricliniis, ſed in templis, hoc eſt proprio diuinitatis loco, dedicandæ fuerunt. Satis iam priuata laude commendatus erat, qui terrarum orbem nominis celebritate occuparat: publica requirebatur. qua iam totum vobis virum vindicaſtis. Et profecto quamuis magnus Cæſaris animus, rerum omnium capax, nunc in ipſo æternitatis ſinu conquieſcat, & inanes infra ſeſe curas hominum contemnat; tamen eſſe indignos hoc depoſito Nitiobrigas exiſtimo, quibus quoties peregrinus aliquis accedit, digito ſepulchrum viri tanti demonſtrandum eſt: quem ibi ſitum eſſe nemo ſciret, niſi quidam ſupereſſent qui meminiſſe poſſent. Nemo hic Scaligerum quæret, quin continuo inueniat: neque oculi tantum ſed & animi omnium, in his ductibus, his literis, hoc præclaro monumento veſtro, in hoc teſtimonio habitabunt. Exultabunt eruditi ac præſtantes viri, contabeſcent improbi & furioſi: peregrini vero nuſquam liberalius virtutem quam a vobis excipi videbunt. cuius cer-

tiſſimum indiciū eſſe ſolet, quicquid iam defuncto exhibetur. Et cum omnium teſtimonio aut poſt mortem liuor euaneſcat, aut paulatim magnis virtutibus concedat, veſtra quoque gloria cum ætate ipſa accreſcet: & quo maior omnibus videbitur, cui poſtremum hunc honorem habuiſtis, eo melius de vobis quoque omnis iudicabitur poſteritas. Effloreſcet indies illius viri nomen, quo maiorem nulla ætas vidit, nulla forſitan videbitur. Vaſtum illud & prodigioſum ingenium, admiranda illa & ſtupenda induſtria, illa tot linguarum ſcientia, quot ſine admiratione numerare nemo poteſt, accuratum ac diuinum illud iudicium, non latere magis quam deleri aut extingui poteſt; ſed cum immortali veſtra laude, ſupra vim annorum & inanes improborum conatus, ſupra factiones æmulorum ſemper eminebit: ac vt ignis quidam ſemper & per vniuerſum orbem latius emerget ac erumpet. Vos ſupremus eruditionis magiſtratus, & ſenatus quaſi quidam literarum, quibus Academiæ huius cura incumbit, cum parentibus patriæ Ioſephum Scaligerum in hanc vrbem

olim euocaſtis, viuentem omnibus honoribus ornaſtis, mortuo ad æternam exſtincti recordationem ac memoriam, publico ſumptu monumentum decreuiſtis: inuidiæ ac improbitati obuiam eundum putaſtis: in delubro publico virtutes eius omnibus legendas exhibuiſtis: nihil aut ſuperſtiti negaſtis, aut defuncto iam prætermiſiſtis. Tu pro ſumma tua beneuolẽtia, Myli Nobiliſſime, vnicum humanitatis Belgicæ exemplum, in cuius anima ipſa hæc ſtudia noſtra creſcere & florere videntur, primus in hanc curam incubuiſti, & amico, qualem poſthac neminem videbis, pro amore ſolo, grauiſſimum autoritatis tuæ pondus reddidiſti. Quicquid reſtat, nobis id committite. Nos ingenii humeris & quaſi ceruicibus, ſupra ipſa Mauſolea, quæ expreſſa hic videtis, ipſa inuidia ſpectante ac ringente frustra, regem noſtrum extollemus ac locabimus: & quam ipſi per nos forte adferre non poſſemus, a memoria diuini illius viri, ab idea illa plus quam humana, fauente Deo immortali, vim dicendi ac ſcribendi mutuabimur.

Hic monumenta Scaligerorum Veronenſia inſerantur.



DEO
OPT. MAX.
SACRVM.
ET
AETERNAE. MEMORIAE. IOSEPHI. IVSTI
SCALIGERI. IVL. CAES. A BVRDEN. F.
PRINCIPVM. VERONENSIVM. NEPOTIS
VIRI. QVI. INVICTO. ANIMO. VNA. CVM
PARENTE. HEROE. MAXIMO. CONTRA. FOR=
TVNAM. ADSVRGENS. AC. IVS. SVVM. SIBI
PERSEQVENS. IMPERIVM. MAIORIBVS
EREPTVM. INGENIO. EXCELSO. LABORE
INDEFESSO. ERVDITIONE. INVSITATA. IN
LITERARIA. REP. QVASI. FATALITER. RECV=
PERAVIT. SED. PRAESERTIM. EIVSDEM
MODESTIAE. QVOD. SIBI. FIERI. VETVIT
IIDEM. QVI. IN. VRBEM. HANC. VOCARVNT
CVRATORES. ACADEMIAE. AC. VRB. COSS.
HOC. IN. LOCO. MONVMENTVM. P. E. L. C.
IPSE. SIBI. AETERNVM. IN. ANIMIS. HOMINVM. RELIQVIT.

ſia inſerantur.



na inferantur.





DANIELIS HEINSII
MANES SCALIGERI.

APOTHEOSIS.

EST via, quæ primum cœlo manifeſta ſereno
Pandit iter magnis virtutibus. omnis in orbem
Ardet, & errantes per cœlum colligit ignes.
Stant flammæ ingentes ſtellarum, & purior æther
Illuſtres animas, poſtquam atro e carcere ventum eſt
Accipit, & pulchro venientes lumine cingit.
Illic Æacides, illic poſt triſtia monſtra
Librat asque domos cœli, quas maximus Atlas
Suſtinet, & ſummo nutantes vertice fulcit,
Conſtitit Alcides, ſæuæque oblita nouercæ
Pectora, ſideribus mediisque immiſcuit aſtris.
Ante alios longe heroas longeque refulgent
Benaci proceres, quos non incognita virtus
Extulit, & duræ rurſus preſſere ruinæ,
Fortunæque vices & inexpugnabile fatum.
Sub pedibus fracti faſces, curuæque ſecures,
Sceptraque nunc inuerſa iacent, ſacrique tiaræ,
Solamen regni veteris totidemque dolores.
Nec non & regum exuuiæ, perfoſſaque centum
Arma locis, clypeique immania vulnera paſſi,

Loricæque hoſti detractæ in limine pendent.
In medio, quondam pulchro percuſſus amore,
Naturæ incumbit gremio ſacrisque lacertis
Cæſar, & inſueti ſpectat miracula mundi;
Purpuream indutus chlamydem: quam diuite gemma
Ipſa parens rerum multoque illuſerat auro.
Illic principia & naſcentis ſemina mundi
Aſpiceres ferri paßim, paſſimque vagari,
Paulatimque alias aliasque aſſumere formas.
Nec non & variis animalia quæque figuris
Cælo efferre caput: durosque aſſurgere in armos
Corpora taurorum: natosque ad triſtia bella
Feruere cornipedes, ſuſpenſaque voluere crura,
Et librare pedum alterno veſtigia paſſu.
Illic & volucres ſcindentes aëra pennis,
Et totam Oceani vaſto cum gurgite gentem,
Fecerat alma Deûm genetrix. Ille abdita rerum,
Et genera, & formas, primasque ab origine cauſas
Illis luminibus luſtrat, quibus omnia quondam
Eruit, & ſeros vetuit neſcire nepotes,
Quæ cælum irradient flammæ, quis ſidera paſcat
Spiritus, & terram mediis infixerit vndis.
Infra orbem geminum Nerêique vndantia regna
Inſanumque videt Borean; cæloque minantes
Æolios fratres, cogentesque aëra nubes,

Et pluuios rores, & gratos frugibus imbres.
Ipſa immota manet nullis obnoxia ventis
Heroum ſedes, & læto inuoluitur igni.
Illuc Iuliadem rerum pulcherrima Virtus
Duxit, & in tuta preſſum ſtatione recepit
Inuidiæ iaculis, & ſæuæ afflatibus hydræ:
Quam quondam omnipotẽs alto ſubmouit Olympo,
Septem orbes, ſeptem vibrantem in prælia linguas.
Cætera ſerpit humi: ſolum in ſublime venenum
Spargitur, & fœdo virtutem inuadit hiatu,
Cognatasque Deis animas & pectora tentat.
Ollis fata negant præclaram irrumpere ſedem,
Ni prius infandam dederint in vincula peſtem.
Illam inſultantem fruſtra, fruſtraque vomentem
Tartareum virus, ſpinoſaque verbera caudæ
Intentantem oculis, vi contra immobilis heros
Fregerat, & certo ſpirantem eliſerat ictu.
Ergo vbi peruenere locum ſedemque beatam,
Extemplo immenſæ ceſſerunt cardine valuæ,
Et patuit formoſa domus, tectoque recepit
Magnanimum heroem. primumq; ex ordine mater
Ambroſiæ ſucco mortaleis perluit artus,
Annorumque domat vires, turpemque ſenectam
Exuit, & lethi ignaros aſpirat honores.
Haud aliter mediæ ſurgentem ex ignibus Oetæ
 Alter-

Alternos humeros ſemuſtaque membra mouentem
Perruptorem Erebi, mactatoremque ferarum
Alciden videre Dei: iuxtaque Iuuentas
Aſtitit, & lætos humeris iniecit amictus.
Accurrunt proceres antiquæ ſtirpis origo
Aſſurguntque viro: totoque ex agmine maior
Cæſar, in amplexum lachrymis occurrit obortis,
Deduxitque manu, ſolioque excepit auito,
Et primo memorat longæuam a ſanguine gentem;
Tot Diuos Verona tuos, Hunnumque ferocem,
Fractum animis, totoque eiectum corpore regni,
Nec læto auſpicio fundatam Antenoris vrbem.
Heic cœli ſedet in medio, Phœbumque cadentem,
Vel quantus veniens rorantes diſcutit vmbras,
Aſtraque metitur radiis, ſerumque Booten,
Semotamque Helicen, ſtrictumque Orionis enſem.
Nec non & ſpatia Annorum, Menſesque, Diesque,
Temporaque, & certis deſcriptum legibus Æuum,
Omnia quæ quondam populis obſcura per orbem
Prodidit, indulgens ſtudio: totamque per æthram
Spargit ouantem animam, vaſtoq; immittit olympo.
Salue ingens cœli decus: &, tua ſacra per orbem,
Per populos vrbesque omnes & regna ferenti
Sis felix: noſtrique memor, procul aſpice tetram
Inuidiæ peſtem: quæ te, quanquam aëris alti

Inuectum nubes, & ſidera ſumma videntem
Sub pedibus, ſequitur: vaniſque exercita curis
Nondum diuinos patitur requieſcere manes.

In defectum Lunæ, qui ſupremam Scaligeri noctem præceſſit.

QVOD *mæſta Phœbe, non vt ante, vultum*
Indulſit orbi, ſed tenebricoſis
Noctem profundam duplicauit vmbris,
Ceſsitque tota deſtituta luce:
Non illa fratri cornibus retuſis
Submiſit igneis ante mutuatos.
Nox illa noſtra eſt. Cæſaris propago,
Lux prima mundi, vita literarum
Chaos minatur, nunciatque noctem.
Qualem nec olim perfidæ Thyeſtis
Fecere menſæ, cum fugatus ora
Auertit auſis palluitque Titan,
Diemque ſolis non dedit Mycenis.
Plus execrandum eſt, quicquid orbe toto
Luent tot anni. poſterique pendent

Centum-

Centumque retro ſentient nepotes,
Ingrata Diuis quod meretur ætas:
Cum denſa terris nox ſcientiarum
Caliginoſas inuehet tenebras,
Mergetque ritus priſtinos & artes,
Suoque quicquid imputabat æuo,
Cuius ſerenum non tulere vultum.
Hac nocte mæſtos deficit iugales
Formoſa Phœbe: cras abire Titan
Minatur orbe. Barbari ſequuntur.

EPI-

EPITAPHIVM I.

REGIVS a Brenni deductus ſanguine ſanguis,
Qui dominos rerum tot numerabat auos,
Cui nihil indulſit ſors, nil natura negauit,
Et iure imperij conditor ipſe ſui,
Inuidiæ ſcopulus, ſed cœlo proximus ipſi,
Illa Juliades conditur, hoſpes, humo.
Centum illic proauos, & centum pone triumphos,
Sceptraque Veronæ, ſceptrigerosque Deos,
Maſtinosque Canesque, & totam ab origine gentem,
Et quæ præterea non bene nota latent.
Illic ſtent aquilæ priſcique inſignia regni,
Et ter Cæſareo munere fulta domus:
Plus tamen inuenies quicquid ſibi contulit ipſe,
Et minimum tantæ nobilitatis eget.
Aſpice tot linguas, totumque in pectore mundum:
Innumeras gentes continet ille locus.
Crede illic Arabas deſertaque nomina Pœnos,
Et crede Armenios Æthiopasque tegi.
Terrarum inſtar habes: & quam Natura negauit
Laudem vni populo, contigit illa viro.

EPITAPHIVM II.

INVIDIÆ *domitor, monſtrorum interritus: in quo*
Improbitas vires fregit & ira ſuas,
Tanto animis maior, quanto crudelior hoſtis
Verteret in ſacrum tela cruenta caput,
Dîs genitus, diuis nunc redditus, hîc iacet, hoſpes,
Iuliades: quantum claudere terra ſolet.
Occidit & ſæuus Troiæ populator Achilles,
Hectoreos cineres Ilia clauſit humus.
Clauſit & Aiacem Rhœtei in littore ponti:
Exuuias ingens Herculis Oeta tulit.
Iuliadem tantis æqualem heroibus, æqua
Nominibus tantis terra Bataua tegit.
Virtutem ne quære, hoſpes. patet orbis vterque.
Non alio virtus clauditur vlla loco.
Cœlum animis, orbem heroes virtutibus implent.
Quod ſupereſt, tellus qualibet apta, tenet.
Mauſolea tegunt priſcos inſignia reges,
Vnde illi generis gloria prima venit.
Regibus hoc ſatis eſt. toto iacet altior orbe,
Qui propriis totam laudibus implet humum.

EPI-

EPITAPHIVM III.

TEMPORVM EMENDATORI.

LVX *illa terræ, cuius vltimi nomen*
Nouere Seres, quem peruſta gens Phœbo
Indi loquuntur, cuius impetum liuor
Adhuc tremiſcit, vt leonis extincti,
Nec profuturis eminus petit telis,
Semen Deorum, Cæſaris ſui proles,
Iocus proteruæ ludicrumque fortunæ,
Sed maior ipſa, pallidoque liuore,
Et vtriusque victor, hoc iacet buſto.
At ne quid æui ſæculique vis poſſit,
Diesque longa deleat viri nomen,
Quo maius orbis altiusque nil vidit,
Deuinxit ipſum Scaliger ſibi tempus.

IOSEPHO SCALIGERO
LINGVARVM PROPE OMNIVM PERITO,
TEMPORIS EMENDATORI,
ANTIQVÆ ASTROLOGIÆ ILLVSTRATORI.

SOLVS *qui totum diſcendo exhauſerat orbem*
Naturæ ſibi vix ſufficientis opus,
Omnia conatus peruaſerat omnia, proles
Cæſaris, & vidit nilupereſſe ſibi.
Jam puero Graii, puero ceſſere Latini,
Dat puero victas Martia Roma manus.
Inſequitur Phœbum (tanta eſt audacia mentis)
Et pariter per quas proficit ille vias.
Æthiopes cedunt, cedit gens conſcia Nili,
Et cuï Nilus adhuc diſsimulatur, Arabs.
Cedunt Armeniј, cedunt Perſæque Syrique:
Et ſi quem medio conſpicit orbe dies.
Tendit in occaſum, ſed poſtquam ceſſerat ortus:
Hic quoque quæ diſcat, cætera doctus, habet.
Tempora reſtabant: vaſtum complectitur æuum,
Et toto maior tempore, tempus obit.
Quid ſupereſt Natura? pudet. iam exhauſerat orbem.
Si dederis cœlos. hîc quoque mente fuit.

IOSE-

IOSEPHO SCALIGERO
VIRO SVPRA LAVDEM.

PROLES *regia, nominisque vindex*
Et ſui ſimul & ſimul ſuorum,
Qui menſes veteres, diesque, & annos
Certo limite finibusque clauſit,
Cuius ſæcula nunc eunt & horæ,
Et qui tempore profuturus omni
Sibi tempora ſolus obligauit,
Cuius bis duo millies laborum
Bis ſex Herculeos premunt labores,
Solus omnia, terminusque voti,
Qui dum priſtina quæque reddit orbi,
Et nondum genitos docet nepotes,
Totum laudibus occupauit æuum;
Et ne debita ſanguini Deorum
Nouus ſidera permearet hoſpes,
Suis ſedibus ordinauit aſtra,
Et cœlum meruit, quod ante vidit,
Dignus Cæſare maximo virorum,
Et cum Cæſare maximus virorum;
Quem laus amplius haud deceret vlla,
Et qui laudibus haud faueret vllis,

Maior qualibet altiorque laude,
Quæris quod ſibi præmium relinquat,
Stupor Scaliger eruditiorum?
Digno heroibus exitu potitus,
Toti concidit inuidendus orbi.

QVERE-

QVERELA.

MISELLE vates lachrymiſque lugende
Suſpiriiſque, quotquot exprimi poſſunt
Ex ore & imo pectoris penetrali,
Adhuc moraris illius ſequi manes,
Cuius ſuaui nunc carebis aſpectu
Et ore ſemper? Ah miſer! tibi quales
Juere Soles, cum vocatus & gratus
Semperque onuſtus carminum pia mole,
Jllos Penates lætus hoſpes intrabas,
Viri que vultum & ora conſpicabare,
Quo nil Olympo maius aſpicit Titan,
Nihil ſecundum pulchra conſpicit Phœbe.
Ibi illa veſtra blanda dona Muſarum
Blandoſque luſus vſque & vſque poſcebat,
Nec tu petenti promere illa nolebas.
At nunc beato ſeparatus amplexu
Miſer vagaris ſolus, & grauis luctu
Mœſtos ocellos perpeti rigas imbri,
Erraſque paſſim: qualis auio in ſaltu
Priuata caro compari gemit turtur,
Aut nata matrem ſola luget amiſſam,
Nondum iugales paſſa nata complexus.

Vel

Vel quæ ſub umbra populi ſedens mœſta
Lugubre carmen integrat ſoror Procnes,
Raptosque fœtus quos arator implumes
Abſente matre neſciaque ſubduxit,
Plorat, nec ullum luctibus modum ponit.
Feſſusque lachrymis, lachrymis tamen gaudens,
Noctem querelis ducis, & diem fletu.
At ille toto nunc remotus it mundo,
Totisque terris, in virentibus campis,
Vbi ſuauis ſibilat tepor venti,
Fauoniusque lenis inſtrepit ramis,
Et aura pulchros frigerans parit flores,
Et fons per herbas candido ſtrepens lacte
Puros lapillos inter, irrigat terram,
Lenemque ſomnum manibus piis ſuadet,
Auesque voce tinnula ſolum mulcent,
Jnque arborum trementibus comis viuunt.
At ſacra circum lympha Tethyos puræ
Defendit imbres, & niues pruinoſas,
Polusque dulci delicatior ſomno
Molles roſarum deſuper pluit nymbos,
Et liliorum lacteas niues ſpargit,
Sonantque læto paſcua vndique plauſu,
Syluæ cachinnis, antra perſonant riſu,
Vmbræ choreis, vocibusque iocundis.

Ibi

Ibi illa turba nota poſteris ſaeclis
Myrto capillos implicans Dionea
Comisque lauri virginis, per herboſos
Colles vagatur, & diem ioco ducit.
Ibi ille terris notus omnibus noſter
Et aemulandus viuit omnibus ſaeclis.
At tu beato ſeparatus amplexu
Adhuc moraris illius ſequi manes,
Cuius ſuâui nunc carebis aſpectu?

THRENVS.

QVALIS *perpetuo natorum pallida luctu*
Et duris Niobe exercita funeribus
Stat miſera in ſaxo, cui guttatim vndique lympha
Hinc atque hinc mœſto depluit e Sipylo,
Aut quales nondum oblitæ fratriſque ſuique
Stant lachrymis vdæ iugiter Eliades,
Infelix Phaethuſa, & ramis obſita Phœbe,
Et totidem ramis obſita Lampetie,
Quas neque grata Ceres, neque curarum exitus omnium
Humida nox blando detinet obſequio,
Sed Matuta parens ſemper, formoſaque ſemper
Inueniunt madidis ſidera corticibus.
Tales Dî lachrymas talem aſpirate dolorem
Heu miſero nimium numina ſæua mihi.
O pater, o noſtræ quondam tutela iuuentæ,
O animâ mihi dilectior atque oculis,
Cui ego conſueram triſtem lenire dolorem,
Et capitis ſacram ſiſtere canitiem!
Tecum delitiæ, tecum omnia gaudia noſtra
Fracta iacent: tecum funditus occiderunt
Munera cuncta Deûm. nec quæ nos cunq; iuuabant,
Nec mihi iam lux hæc, nec mihi grata dies.

Ipſa

Ipſa etiam quæ te præeunte ah perditus olim
Dulcia Muſarum gaudia contigeram,
Hæc quoque tecum abiere hinc omnia, ceu vapor olim
Ludibrium ventis ſpargitur Æoliis.
Nec mihi blanda placent Muſarum gaudia, nec mî
Promere ſtat mæſti delicias animi.
Sed qualis virgo caſtæ coniuncta parenti,
Sedula maternis vortitur in ſtudiis,
Quam iuxta radiique & viminei calathiſci
Arma iacent blandæ debita militiæ:
Ipſa hæret ſuper incumbens, gratumque laborem
Aßiduis vſque deproperat digitis.
At ſi mox eadem caſtâ eſt orbata parente,
Sideraque accendit ſeque ſuamque domum,
At fuſi calathique iacent procul heu deſerta,
Et miſero pecten voluitur e gremio.
Sic mihi Muſarum tecum omnis gloria ſordet,
Et penitus noſtro diffluit ex animo.

THYRSIS,
ÆCLOGA BVCOLICA,
In obitum eiuſdem.

ÆGON. MNASYLVS.

AMISSVM *triſti longæuum funere Thyrſin,*
Thyrſin delicias paſtorum, & gaudia ruris
Amiſſum flebant pueri Mnasylus & Ægon.
Flebant, & lachrymis ingentibus ora rigabant,
Flebant & populi, flebant armenta gregesque.
Sed tamen ante alios longe mæſtiſſimus Ægon,
Sæpe illi ſolitus cum nox obſcura capellas
Cogeret, & mæſtos arceret matribus hædos,
Sæpe ſuos illi recitare aſſuetus amores,
Et duræ faſtus Amaryllidis. ille ſenectæ
Oblitus propriæ, propriosque oblitus amores
Præbebat facilem pueris cantantibus aurem.
At puer infelix amiſſo Thyrſide, ſolus
Errabat, mare vicinum vicinaque circum
Littora: vel Rheni ſpatioſo proximus alueo,
Crudeles Diuos & flecti neſcia fata
Poſcebat Thyrſin: ſed nec crudelia fata
Nec Diui ereptum reddebant funere Thyrſin.

Sæpe

Sæpe illum immemorem ſeræ decedere nocti
Heſperus inuenit lachrymantem, & dura vocātem
Sidera nequicquam: ſæpe illum inuenit eundem
Lucifer. errabant ſolæ per deuia capræ.
Tum quoque Mnaſylum viridi complexus in alga
Talia iactabat nil reſpondentibus vndis.
Ecce, peregrino redeunt e littore puppes,
Et cum nocte pecus, redeunt cum nocte iuuenci.
Omnia cum redeant, ceſſat mea gaudia Thyrſis.
Septima formoſos cœlo nox extulit ortus,
Et toties iuga iam bobus detraxit arator,
Et matutinos decuſsit bucula rores;
Thyrſis abeſt. abſentis adhuc veſtigia littus
Exhibet, & fruſtra quacunque in littore paſſus
Thyrſidis apparent, hic & veſtigia figo,
Perque eadem errantem nox occupat, & videt Eos
Altera, nec vacuæ ceſſant plangoribus horæ.
Interea pecudes nullo paſcente, per herbam
Vicinas comitantur oues: mœſtaque iuuencæ
Noctis in aduentum vicina armenta ſequuntur.
Lac quoque, ſit quamuis iam formoſiſsimus annus,
Aret in vberibus: nec me mulctralia, donum
Thyrſidis extremum, nec quæ mulctraria plenis
Admouet vberibus, ceu quondam, Theſtylis vrit,
Extinctique animo languent Amaryllidis ignes.

Carmina iam ſordent (nam cui mea carmina cantem?)
Et mihi diſcedens tamen hæc armenta reliquit.
Et dixit moriens : poſt me pulcherrimus Ægon,
Ægon hos calamos mortis ſolatia noſtræ
Inflabit, tanto reliquis dilectior Ægon
Quanto pulchra ſuo capra eſt villoſior agno.
Quamuis ſæpe meos ſeruauit Tityrus hædos,
Et mihi ſæpe ſuos Mnaſylus rettulit ignes.
O dilecte puer, tu nunc cantabis in illo
Littore, nec noſtras vnquam obliuiſcere Muſas.
Ipſe etiam tumulo facies ſolemnia noſtro,
Ipſe apium, ipſe hederas, ipſe humida lilia carpes,
Extremamque meis intexes oſsibus vmbram.
Atque aliquis forſan Lethææ in gramine ripæ
Deferet erranti tua carmina: cum mare Thyrſin,
Cum Thyrſin ſcopuli, percuſſaque ſaxa ſonabunt.
Audiet extinctus poſt ſe ſua nomina Thyrſis,
Audiet, & priſcos animo reuocabit amores,
Audiet ipſe ſuam lætusque agnoſcet auenam.
Nec tibi linguarum contagia, nec mala Codri
Iurgia ſunt metuenda: petat licet omnia liuor.
O dilecte puer, tu nunc in littore paſces
Has pariter, pariterque tuas quas ante tenebas.
Nos procul hinc (nec enim non cedunt omnia fatis)

Per-

Perſephones paſcemus oues: vbi purior aer,
Et viui fontes, & ſponte innoxia taxus.
Nec mare littoribus pugnat, nec flumina ripis
Diluuiem meditantur. amant & flumina ripas,
Et mare tranquillum ſecuram allabitur algam.
Hæc Ægon, Ægona ſuo Mnasylus ab antro
Excipit, & triſtem ſolatur carmine curam.
Sidera quæ blandos hominum ſpectatis amores,
Egreſſi terris iuuenes, quos æthere ſummo
Fixit, & æterno ſacrauit Iupiter auro,
Vos etiam quondam pars hoc in littore noſtri
Cantabat Thyrſis: nunc vobis proximus ipſis
Ipſe ſuas cælo vobiscum conſpicit agnas.
Et fauet, vt quondam, paſtoribus, & pia ducit
Ocia; nec triſtes aſpirat ab æthere ventos.
Quaque mouet, Zephyri accedunt, imbresque furentes
Comprimit & Borean, & agentes nubila Coros.
Forſitan & paſcit, ceu quondam pauit in herba,
Nubibus in mediis: & noſtro gaudet amore.
Nec Deus Arcadiæ numen præſentius illo eſt,
Nec Deus Arcadiæ certet cum Thyrſide iungi.
Thyrſis & infeſtas extinxit frugibus herbas,
Et ſegeti gratos defendit ſentibus agros,
Et lolium infelix, & inertem eiecit auenam.

Hor-

Horret humus, ſquallet rapto Parnaſia rupes
Thyrſide, nec cœtus hominum reſpexit Apollo.
Thyrſis & ignotum paſtori repperit annum,
Errantemque ſuo diſtinxit limite menſem,
Æqualesque dies, & priſcum reddidit æuum.
Thyrſis & antiquos docuit procedere ritus.
Sidere quo Bacchum vicinia tota ſonarit,
Quo Cereri gratus ſua præmia meſſor in vmbra
Soluerit, ingentem aſpiciens ſecurus aceruum.
Quo tibi magna Pales ſacro de ſulfure fumum
Fecerit, & feſtum paſtor tranſcenderit ignem,
Cum lauro velantur ouilia, caſtaque laurus
Luſtrales latices, & noxæ obliuia verſat.
Nunc quoque humo pueri ſaxoque inducite laurum
Thyrſidis, & puræ ſpargantur frondibus vndæ.
Vndam alij ſpargent, tumulo lac inferet Ægon,
Lac Ægon: Mnaſylus aquas e flumine viuo
Hauriet, & ſæuos arcebit nunc quoque ſoles.
Non tamen & nobis ſolatia parua reliquit,
Diſcedensque meis extremum amplexibus hærens,
Pignus habe hoc, dixit: nec quiſquam ex agmine ve-
ſtro
Munera nulla feret. reddent hæc munera vobis
Extinctum Thyrſin. Nec tu monimenta Menalcæ
Deſpice, quæ nobis Riphæi e frigore ponti

Miſit,

Miſit, & Arctois e montibus ipſe Menalcas.
Nec tu pauperiem puer aſpernabere noſtram,
Nec proauos meditare, ingentia nomina, noſtros.
Mille greges illis Benaci fluminis vndam
Libabant: centum tondebant paſcua tauri.
Omnibus errabant ter centum in montibus agnæ.
Nunquam illis, nunquam teneris lac defuit hœdis;
Pars quoque preſſa fuit. ſæpe hæc mihi veſpere ſero
Narrabat genitor, cœlo notiſſimus ipſi
Antiquus Corydon: quem nunc procul altera tellus
Detinet, & toto circumfluit amne Garumna.
Omnia fata tulere, & habebunt nos quoque fata.
Talia cantabant pueri: cantantibus illis
Heſperus extremam veniens abrupit auenam.

ΤΟΥ͂ ΑΥ̓ΤΟΥ͂ ΒΟΥΚΟΛΙΚΟ͂Ν ΕἸΔΎΛΛΙΟΝ ἘΙ͂Σ ΤΟ͂Ν ἈΥΤΌΝ,

Δωριστί.

Εἴαρος ἀρχομένοιο παρὰ Ῥήνοιο ῥόοισι
Δάφνις βωκολέεσκε· φίλον δ' ὀλολύσδετο Θύρσιν
Μῶνος ἐών· τοιὰν δ' ἀνεβάλλετο μῶνος ἀοιδάν.
Οὔπω δὴ πεδίονδε κατήλυθες, ὦ φίλε Θύρσι,
Ἠλύσιον, τρίλλιστον, ὅθεν πάλιν οὐκέτι νόστος,
Ἄμμιν δ' οὐκέθ' ὁρατὸς ἀποίχεαι· ἄλγεα δ' οἷα
Αἰὲν ὀδυρομένοισι τεὸν μόρον ἄμμι λέλοιπας.
Οὐκέτι δὲ μέλος ἁδὺ τοιάσδομες, οὐκέτι σεῖο
Ὡς πρότερον σύριγγος ἀκούσδομες, οὐκέτι μοίσας·
Τάν με πρὰν ἐδίδασκες ἐνὶ μεγάροισι τεοῖσι
Νήπιον, εἰσέτι μικκόν, ἔτι νέον· ἠΰτε μάτηρ
Παῖδα φίλαν ἐδίδασκε πολύστροφον ἱστὸν ὑφαίνειν.
Ἠΰτε δ' ἦρι πράτῳ ἐπὶ πρέμνοισιν ἀηδών
Ἑσδομένη, περὶ τέκνον ἀεὶ στρωφῶσα ποτᾶται,
Μοῖσαν δ' ἱμερόεσσαν, ἑάν τ' ἐδίδασκεν ἀοιδάν.
Ὥς τοι ἐγὼ παρέμιμνον, ἐμεῦ δ' ἄτερ οὐδέποκ' ἦσθα·
Οὐδ' ὄκα φέγγος ὄρειτο κατ' αἰθέρος, οὐδ' ὄκα γαῖαν
Νυκτὸς ἀμερσιπόνοιο κατακρύψειεν ὀμίχλα.
Οὐ γάρ τις σέθεν ἄλλος ἐν ἀνδράσιν ἅδιον ᾆσε,
Οὐδέ τις ἰσοφάρισδε, καλῶς σύριγγι λιγαίνων
Οἷον τὺ ψιθύρισδες. ἐγὼ δ' ἔτι δεύτερον οἴσειν
Ἄθλιον ἤλπισδον σεῦ ἀεὶ τάλας· ἀλλὰ τάδ' ἄμμιν

Μοῖραι

Μοῖραι ἀναρπάξαντο, καὶ ἁ πανδάμιος ἆτα.
Νῦν δ᾽ ἐμὲ μῶνον ἔλειψας, ἐμεῦ δ᾽ ἄτερ ἐν χθονὶ κεῖσαι,
Μῶνος νόσφιν ἐμεῖο τὸν ἄτροπον ὕπνον ἰαύεις.
Ἄμμες δ᾽, ὡς νέοι ἄρνες, ὅϊν πέρι τὰν λύκος ἔκτα
Ποιμένος οἰχομένοιο περιπλάσδονται ἀν᾽ ὕλαν,
Οὔθατα δὲ τρίβοντι, κατακταμένας περ ἀνάγκᾳ·
Ὣς σεο νῦν ἔτι μοῖσαν ἀμέλγομες, ὡς ἔτι σεῖο
Πίνομες οἰχομένου γάλα μείλιχον· εἰσέτι γὰρ ζῇ
Ὅσσα πάλαι κατέθηκες ἐν ἀνδράσιν, ὡς δὲ μελίσσας
Κηρία σεῖο θανόντος ἐν ἀνθρώποισι λέλειπται.
Τοῖσδε γὰρ οὔποτε χεῖρα πολύστονος ἐμβαλεῖ Ἅδης,
Μῶνα δ᾽ ἀεὶ φευξεῖται ἀταρτηρὸν στόμα Λάθας,
Μῶνα δὲ Περσεφόνας οὐκ ὄψεται ἄγριον ὄμμα.
Τῶν δὲ τεῶν πατέρων φάος οἴχεται, ἠΰτε καπνοὶ,
Πάντα δὲ κεῖται ἄπυστα· βαρὺς δ᾽ ἐπικάππεσεν Αἰών.
Ἀλλὰ σὺ μὰν, τριπόθατε γέρον, κόνις ἔσσεαι ἤδη.
Ἄμμες δ᾽ ὁσσάκι μᾶνες ἀγακλυτὰ τέκνα σελάνας
Αἴλινον ἆμαρ ἄγωσι, τεὸν περὶ νηλέα τύμβον
Στεψοῦμες στεφάνοισι καὶ ἑρσαέεσσι πετάλοις.
Δάκρυα δὲ σταξοῦμες ἐπὶ χθονὶ, καὶ γάλα λευκὸν,
Ἄλλα τε μείλια πολλὰ, τὰ μηδ᾽ ὤφελλε χέοντο·
Ἀὼς δ᾽ οὔνομα σεῖο κατ᾽ ὠρανὸν ἀντιβοασεῖ.

ΕἸΣ ΤῸΝ ΤΟΥ͂ ΑὙΤΟΥ͂ ΤΆΦΟΝ,
Δωρισί.

Τίς τίνος ἔπλετο τύμβος; ὑπὲρ τύμβω δέ τις ἄκρω
  Ἑσδόμενος, ξανθὰς ἐκκέχυται πλοκάμως,
Μαινομένῳ μέγα δή τι παΐκελος; ὦ ξένε τύμβον
  Παιδὸς ἀνικάτου Καίσαρος εἰσοράας.
Αἰεὶ δὲ φθόνος ἄμμιν ἐφέσδεται, οὕνεκεν ἥρως
  Παντοίας ἀρετᾶς ἔδρεπεν ἀγλαΐαν.
Ἄλλων χρίσδετε τύμβον ἀλείφασιν. ὁ φόνος αἰεὶ
  Παίδεσσι μεγάλων ἕσπεται ἁμιθέων.

ἌΛΛΟ ὩΣ ἈΠῸ ΝΕΚΡΟΥ͂.

Γράψον ὅλον μοι κόσμον ἐπὶ κρηπῖδι τάφοιο,
Τῷ δ' ἔπι καὶ γλωσσέων εἴδεα παντοδαπῶν.
Γράψον καὶ φθόνον αὐτὸν ἀμείλιχον· ὃς δέ μοι αἰεὶ
Ἡμετέρῳ στενάχοι τύμβῳ ἐφεζόμενος.
Τοῖσι δὲ δακρυχέουσα Τύχη καὶ Πότμος ἑπέσθω.
Μέσσον δ' ἐν τούτοις θάψον Ἰουλιάδην.
Γλωσσέων γὰρ πέλον ἴδρις ὅσων πέρι κόσμος ἐέργει·
Κεῖνα δέ μοι λοίσθῳ πάνθ' ὑποτασσόμενα.

ἌΛΛΟ.

Μὴ τύμβον παρὰ τοῦτον ἐπεσσύμενος τρέχ' ὁδῖτα,
Ἡρώων μεγάλων οὐκ ἀλεγιζόμενος.
Καίσαρος ἀντιθέοιο πάϊς μεγαλώνυμος ἤμην,
Ἤμην Σκαλιγερῶν αἷμα διοτρεφέων.
Μοῦνος δ' ἀλλοπρόσαλλος Ἄρης ἐμὸν ὤλεσεν εὖχος,
Ὑψώσας πρότερον τὸ κλέος ἡμέτερον.
Μοῦσαι δ' ὑψώσαντο πάλιν· πάλιν αἱ δέ μοι εὖχος
Μεῖζον ἐμῶν προγόνων θῆκαν ἐς ἀΐδιον.
Ἀλλά τις, ὦ ξένε, τύμβον ἐμοὶ μέγαν ἄλλοθι θείη·
Νεκροῖς γὰρ κέομαι νῦν ἐν ἀμουσοτάτοις.
Παρνασσοῦ δ' ἐπὶ ταῖν κορυφαῖν ἄκροιο τεθάφθω
Ἰδμοσύνης ἄκρη καὶ σοφίης κορυφή.

ΤΟΥ̃ ΑΥ̓ΤΟΥ̃ ΕἸΣ ΤῸΝ ΑΥ̓ΤΌΝ.

Δῖε γέρον, συνάεθλε θεοῖς, συνάεθλε δὲ παισὶν
Σκηπτούχων βασιλέων νήσῳ ἐνὶ μακάρων,
Κεῖσό μοι ὄλβιος αἰεὶ ὑπὸ χθονί· σῶμα μὲν οὕτως
Πολλὴν καὶ μαλακὴν γῆν ἐπαμησάμενος,
Ψυχὴν δ' ἡμιθέοις ἅμα πατράσιν· αὐτὰρ ὄναιο
Αἰεὶ σῆς γλυκερῆς πουλυμαθημοσύνης.
Ἀμβροσίης μοι ὄναιο· τεὴν δ' ἄρα δίψαν ἀκείων
Ἱπποκρηνιάδων πῖθί μοι ἐκ λιβάδων.
Τούτων γὰρ πίες αἰεὶ, ἀεὶ δ' ἀκόρεστος ἔησθα·
Τῶν δέ σοι ἡ δίψη, τῶν δέ σοι ἡ μέθυσις.
Δάφνην δὲ ζώουσαν ἀεί σοι τύμβος ἀέξοι·
Αὐτοπάτωρ τέκνων ἦσθα γὰρ ἀθανάτων.

EPICEDIA
DIVERSORVM.

HVGONIS GROTII
EPIGRAMMATA DIVERSA.

IRET *ad occaſum cum lux clariſsima Mundi*
Scaliger, & ſanctum conderet vmbra caput,
Dicitur exemplo tam ſæui funeris æther
Territus, atque ipſi contremuiſſe poli.
Te quoque perculſum genitor radiate diei
Credibile eſt, viſo ſidera poſſe mori.
Non minus ille ſuo luſtrabat lumine terram,
Non minus in gemino cardine notus erat.
Sed non tu retro radios in ſæcula vertis,
Nec potes heſternum tu reuocare diem:
Eriperet nocti qui ſæcla, diesque diei
Redderet, ille fuit, qui tamen, ecce, fuit.

ALIVD.

Huc ades huc hoſpes ſeu per mare ſiue per Alpes
Ad Batauos Brenni vectus ab vrbe venis,
Non aliena tibi iacet his in ſedibus vmbra,
A ducibus ſanguis ſed venit ille tuis.
Hic ſitus hic ille eſt Ioſephus Scaliger, ipſa
Quin hîc Scaligerûm gens tumulata iacet.
Nec tu ſceptra tamen regnique inſignia quære,
Et quæ quo libuit ſors inimica tulit.

 Impe-

Imperium longe maius ſibi condidit, & cui
Non Atheſis finem, non Padus ipſe facit:
Quod vix Oceanus, vix cœlum terminat. I nunc
Et magnos aliquid crede fuiſſe Canes.

ALIVD.

Hic iacet & Gades ſuper exauditus & Indos
Scaliger, hic mundi publica lingua iacet.
Hunc velut amiſſum Memphis deploret Oſirim,
Diuitis huic ſilua munera mittat Arabs:
Æthiopes portate legit quæ gramina Phœnix,
Et Solymi plena balſama ferte manu.
Hunc Syrus Euphrates, hunc Medus plangat Hydaſpes,
Et qua tu primum Nile crearis aqua.
Græcia deſertas Aganippes effleat vndas:
Cenſeat hunc atrum Martia Roma diem.
Europam pariter Libyamq; Aſiamque per omnem,
Per ſola terrarum, per freta luctus eat:
Et dicant populi, iacet in tellure Batauа
Hic qui pro populis omnibus vnus erat.

ALIVD.

Vnica lux ſæcli, genitoris gloria, nemo
Quem puerum, nemo credidit eſſe ſenem,

Tam

Tam ſibi par ſemper quam cunctis celſior vnus,
Et qui ſe totum debuit ipſe ſibi,
Exſuperans fama quos æquat ſanguine reges,
Sceptrigeris maius nomen adeptus auis,
Hic iacet ille capax immenſi Scaliger æui,
Nec ſibi plus vnquam mors licuiſſe putat.
Quid querimur raptum? mens eſt qua viuitur. annos
Ille tot exegit mente, quot orbis habet.
Omnia dum retro mundi veſtigia quærit;
Quærentem, retro deſtituere dies.
Emenſus populos & diſſona gentibus ora
Ambierat quantum lumine Phœbus obit.
Teſtamur, Natura; tibi non defuit ille:
Tu gentes alias, ſæcula plura dares.
Vltra Scaligerum nihil eſt: nec Scaliger vltra.
Ille tui finem repperit, ille ſui.

ALIVD.

Proles vera ducum, & ducibus maioris Iüli,
Digne cuï haud tantum Scoppius inuideat:
Nobile ſed quidquid, ſed doctum quidquid vbiq; eſt,
Doctrinæ princeps, nobilitatis honos:
Tene hi qui Latiæ vendunt mendacia turbæ
Fraudatum tantæ gentis honore volunt?

Aut potius tanto fraudatam nomine gentem,
Per quod nobilior nobilitate ſua eſt?
Nam poteras fieri magni tu ſanguinis author,
Ni tibi per tantos ſtemma veniret auos.
Teque ſibi proauum quem nunc habuere nepotem
Maſtini cuperent belligerique Canes.
Et quocunque Atheſis quondam rectore ſuperbit,
Conditaque Brenni mœnia militibus.
Nunc aliter viſum ſuperis, illuſtris vt in te
Gens per tota decem ſecula proficeret.
Non puduit claros poſt ſæuo Marte tyrannos
Edere diuinum Cæſaris ingenium.
Nec ſtetit hac fini, nec ſpes fuit vltima Cæſar;
Quin vires iterum eſt auſa nouare ſuas.
Poſt te fœcundos ſed deſiit illa labores,
Vt quo iam maius gignere nil poterat.

ALIVD,

IN EFFIGIEM EIVSDEM quæ in Bibliotheca pub. ſeruatur.

Inter mille libros (nec ſedes dignior vlla)
Quæ tulit immenſus Scaliger ora vides.
Mille libros hoſpes nimium ne reſpice, maior
Hic tibi quem monſtro bibliotheca fuit.

ALIVD.

ALIVD.

Cúm plutei doctis turgerent vndique chartis
Quas velit æterno fama fouere ſinu,
Exhæredauit moriturus Scaliger orbem,
Et vetuit poſt ſe ſcripta videre diem.
Heu nimium duras e miti pectore leges,
Pro quibus impietas magna ſit eſſe pium.
Digna ſit hac pœna præſens quæ viuitur ætas,
Quæ Titios & quæ Scoppia monſtra tulit:
Sed quo poſteritas meruit non poſſe doceri?
Aut quid fecerunt tam bona ſcripta mali?
Parce pater, ſi nos recte tibi cuncta monenti
Credere in hoc vno credimus eſſe nefas.
Publica ſunt iſthæc. ſemel vt te fata dederunt
Omnibus, inde poteſt iam nihil eſſe tuum.
Sit tamen, vt mandas: nequeunt vel preſſa latere
Quæ tantum ex tanto nomine lucis habent.
Quicquid neſcitur foliis quæretur in iſtis,
Hinc ſibi reſponſum maxima turba petet.
Quanta nec Euboicæ celebrauit virginis antrum,
Nec tripodes medio quos habet orbe locus.
Quid iuuat in populos has non dimittere chartas?
Scaligeri circum ſcrinia mundus erit.

IN EFFIGIEM SCALIGERI,
PAVLO ANTE MORTEM EXPRESSAM,
quæ in ædibus N. V. Cornelii Mylii extat.

HÆC eſt Scaligeri mortem meditantis imago:
Luminis heu tanti veſpera talis erat.
In vultu macies & tortor corporis hydrops,
Sed tamen & magni conſpiciuntur aui.
Laua tenet chartas Nabathæi munera cœli:
Armatur calamo nunc quoque dextra ſuo.
Hæc eſt illa manus vitam cui tota vetuſtas
Debet, & a primo tempora ducta die.
Quod ſi Scaligero meritis par vita daretur,
Non niſi cum mundo debuit ille mori.

BONA-

BONAVENTVRÆ VVLCANII.

I.

ΠΙ'ΔΑΚΑ μουσάων καλλίῤῥοον, ἐννεάκρουνον,
Κεῖνον παντοίης ἰδμοσύνης ταμίην
Κεύθει ἰώσηπον σκαλανὸν μάρμαρος οὗτος,
Δόξης μαρμαρυγὴν κεύθεμεν οὐ δύναται.
Ἤδε γὰρ οὐκ ἀΐδαο πύλησιν ἐελμένη, ὥσπερ
Ἄφθιτος, αἰῶσιν λάμψει ἀπειρεσίοις.

II.

Σκαλανοῦ τόδε σῆμ' ἄψυχον σῶμα καλύπτει,
Ψυχὴ δ' ἥρωσιν μίγνυται οἷς προγόνοις.

Idem Latinè.

Scaligeri iacet exangue hoc ſub marmore corpus,
Heroas degit ſpiritus inter auos.

III.

Τούτῳ ἰουλιάδης ἀγλαῷ ἐνὶ σήματι κεῖται,
Τῶν νῦν ἀνθρώπων κλεινότατος σοφίῃ.
Οὗ τὸ πάλαι μέγα κῦδος ἄρης προγόνοισιν ὄπασσε,
Τοῦ δ' ἐκ μουσάων φέρτερόν ἐστι κλέος.

IV.

Ἔνθα βερωναίων κέαται σκαλανὸς ἀνάκτων
Ἔκγονος, ὃν θρέψουσ' ἐννέα πιερίδες.

V.

V.

Jnclyta Scaligerûm cubat hîc poſtrema propago
Joſephus, generis gloria ſumma ſui.
Donec enim ſacræ florebunt Palladis artes,
Ætatis phœnix audiet ille ſuæ.

V I.

Ἕπτ' ἐτέων δεκάδας, μικροῦ δέον, ἔξοχος ἀνδρῶν
Τῶν νῦν ἐλλογίμων, ζῆσεν Ἰουλιάδης.
Αὐτὰρ ἀριθμήσας πόσσον χρόνον ἥρπασ' ἀφ' ὕπνου,
Τρεῖς, ὑπὲρ ἑπτ', ἄλλας ζῆσ' ἐτέων δεκάδας.

Idem Latinè.

Annorum ſeptem decades, paulò minus, ille
Flos clarorum hominum, vixit Iüliades.
At quæ ſurripuit numeret ſi tempora ſomno,
Annorum vixit tres alias decades.

In obitum
Illuſtriſſimi literarum Principis
IOSEPHI IVSTI SCALIGERI, IVL. CÆS. F.

qui placidiſſimè in Domino obdormiuit XII. Kal. Febr. hora IV. matutinâ, cum pridie eandem circa horam Lunæ Eclipſis eſſet conſpecta.

SVRRIPIEBAT *heri Cœlo ſua lumina Tellus,*
Orbaq́ ſquallebat lumine Luna ſuo.
Ecce iterum Terris hodie irritabile Cœlum
Eripuit lumen, vindice Morte, ſuum.
SCALIGERI *diuinam animam repetiuit Olympus,*
Sydus & hoc iunxit nobile ſyderibus.
Heu! matutinâ Mundi Sol occidit horâ,
Raptaq́ lux terris non reditura fuit.
Qui Tempus, Natamque eius ſolerte tenebris
Eruit ingenio, reſtituitq́ Dies:
Ah dolor! hũc rapuit vis Temporis inuida Mundo,
Ah dolor! hunc nobis abſtulit atra Dies.
Sic Fuimus TROES. SCALANÆ *gloria gentis*
Occidit, & LEIDÆ *ſplendor, &* ORBIS *honos.*

FESTVS HOMMIVS Fr.
Eccleſiaſt. Lugdunen.

EPITAPHIVM IOSEPHI SCALIGERI IVL. CÆS. FIL.

VERONA *inclyta, Principiſque Alani*
Sedes Sirmio, Pulicella vallis,
Et quæ Scaligeris auita tellus
Olim paruit, Attila inuidente,
Et quæ poſt aluit, fauente cælo,
Maſtinos dominos, Caneſque reges;
Nugæ, ſomnia, fabulæque inanes:
Vobis excidit, hei, (pudet fateri)
Sæcli gloria, ſæculoque maior
Phœnix Scaliger orbis eruditi.
Sed tantis potuit carere regnis
Heros maximus, altiorque mille
Vacerris, Titiiſque, Scoppiiſque;
Dum doctis ſtudet auribus placere,
Mundi inter tumidas quietus vndas.
Et nunc heic iacet. At Batauα tellus
Tanto pignore maior altiorque
Orbem laudibus æquat vniuerſum,
Et centum populos laceſſit vno.
Memphis barbara iam tacere diſcat.

Et

Et molles Triuiam ſilete Iōnes.
Non muros Babyloniæ ſuperbos
Perſarum aßiduus labor fatiget,
Non ſecto Ioue Phidias canatur,
Aut Cyri domus. Ipſa nec ſepulcra
Cares laudibus euehant ſuorum.
Nec iactet Rhodus æneum coloſſum.
Minus Pyramidum ſtupenda moles
Summa vertice prouocabat aſtra;
Nec tantum meruere laudis olim
Quæ Miracula computantur orbis;
Quantum Scaligero ſuperba tellus
Terras nomine noſtra vincit omnes.
Quem nec Poſteritas fuiſſe credet,
Et Liuor magis ac magis dolebit.
Natus Cæſaris ille, Principumque
Supremum decus, vnicumque lumen;
Ille (ah) Iuliades, genus Deorum,
Iſto nunc iacet abditus ſepulcro.
Et ſi cætera noſſe non abhorres,
Tantum qui tumulum teris Viator;
Ortu Gallus. at eruditione
Idumæus, Arabs, Syruſque, & Indus:
Chaldæus ſimul, Æthiopſque ciuis;
Quemque Achamenij ſuum vocarent;

 Pelaſgus

Pelaſgus ſimul, & ſimul Latinus;
Et Graius vetus, & quotidianus;
Et Tuſcus ſimul, & ſimul Britannus;
Et quod altera ſæcula obſtupeſcant,
Hiſpanus ſimul, & ſimul Batauus.

ALIVD.

IN GENII *Proteus, Naturæ ingentis imago,*
Diſcere conatus quidquid in orbe latet,
Omnia qui ſolus ſeſe in miracula poſſet
Vertere, qui quouis quidlibet ore loqui,
Dum iacet heic, Hoſpes, terra diffunditur omni
Scaliger, & tumuli victor, vbique iacet:
Quod minimum eſt, ſummos contingens ſanguine Reges,
Et tot Principibus nunc quoque maior auis.
Qui nimium anguſti tempus quod viueret aui
Diſcendo in multas vertit Olympiadas.
Qui terræ impatiens, cœlum ipſe aſſcendit & aſtra,
Præueniens fati iura minora ſui.
Æmulus Alcidæ: namque aſſcribendus Olympo:
Hic docuit cœlum, quod prius ille tulit.

PETRVS SCRIVERIVS
M. P.

In Obitum Illuſtriſſimi Herois

IOSEPHI SCALIGERI I. CÆS. F.

LITTERARVM PRINCIPIS.

QVÆ lux Scaligerum morientem ſuſtulit Orbi,
Orbem Cimmeriis inuoluit tenebris.
Sidera creuerunt per damna ingentia Mundi,
Indigetisque noui pondera ſenſit Atlas;
Senſit & ingemuit, ceu cùm Tirynthius heros
Augeret numerum portio magna Deûm.
Iam ſolem geminum miratur flammeus æther,
Et terreſtre iubar cœlica templa ſtupent.
Parcite Cœlicolæ mundi ſperare ruinam!
Solliciti iunctas neue timete faces.
Cœliuolos currus Phœbum ac ſua ſigna docebit
Naturæ ipsius doctor IVLIADES.

IACOBVS LETTINGIVS.

In Illuſtrem virum

IOSEPHVM SCALIGERVM, ERVDITORVM APOLLINEM.

QVI *doctrinæ omnem peruaſerat aliger orbem*
Conditur hoc tumulo Scaliger, orbis honor.
Hoſpes abi. ſpectaſſe ſat eſt, viſoque ſepulchro
Ceu Mahumetano, turba prophana, Getæ,
Cæcatis oculis, nil vltra cernere curant,
Sic quoque conſpecto marmore Scaligeri,
Sat ſpeculis debere tuis te noris, & olim
Nil par, nil maius poſſe videre puta.

II.

Aona poſt nemo ſpe ſcandere ſumat inani,
Hoc modo quâ licuit ſcalaque & ala iacet.

Chronographicum.

LVX fVgIt, aſtra Latent, fLet CYnthIa ſoLe CVbante
SCaLIgerI, eXpIrat IanVs, & VsqVe geMIt.

M. V. V.

AD

AD MANES ILLVSTRISS. IOSEPHI SCALIGERI Iul. Cæſ. a Burden Fil.

HEROVM *ſoboles, Muſarum gloria, magni*
Nate Patris, tantiq; hæres & nominis auctor,
Et decus omne tuis, Auguſti ſtemmatis vnum,
Vnum & poſtremum columen poſt fata Parentis.
Qui cunctos ſuper vnus eras, & Apollinis inſtar.
Ad te de dubiis ſcitatum oracula rebus
Et muſis pubes ſacrata ipſique frequentes
Doctores, cunctis ſoliti de partibus orbis,
Mittere, & ex adytis certiſſima dicta referre.
Sed nimium fœcunda mali, quam viuimus ætas,
Omnibus inuidiæ telis ingrata petiuit.
Teque etiam Scurræ; te gens inimica bonorum
Impetiit, dudumque odiis agitauit amaris:
Nequicquam; veluti cum Solem nubila condunt
Eripiuntque oculis noſtris, illuſtrior ille
Emicat, & longé fugientes diſcutit vmbras.
Sed Deus ingrati damnans ludibria mundi
Vlturusque nefas, ad cœlica regna vocauit
Iam meritis annisque grauem, cœloque locauit.
Infelix orbis! nunc caſſum lumine luges.
Fortunate ſenex, tu nunc mortalia temnis

Imbel-

Imbelleſque canum morſus contemnis ab alto,
Inclytus inuidiæ victor, domitorque malorum.
Queis ego te lachrymis incaſſum proſequar, eheu?
Quem tanto dum vita fuit complexus amore es.
Deficiunt lachrymæ, defeſſaque lumina torpent,
Et miſeræ fauces ægré ſuſpiria ducunt.
Tu fleri te velle negas. ignoſce precamur,
Sancte Senex: nam flere iuuat. medicina dolori
Quærenda eſt. donec te alacres lætique ſequamur.

Eiuſdem epigramma in diſceſſum illuſtriſſimi patroni & parentis in modum de ſe meriti.

OCCIDERAT *Phœnix fœcundo* IVLIVS *æuo,*
Stemmatis atque orbis gloria magna ſui;
Occiderat, ſed vel fato hoc illuſtrior ipſo
Phœnicem hæredem fœta fauilla tulit.
Occidit hic ſterili phœnix immenſior æuo,
Stemmatis atque orbis gloria ſola ſui.
Occidit heu! at quis lachrymarum ſufficit imber?
Poſt hunc, phœnicem ſecula nulla ferent.

IOHANNES DE LAET ANTWERP.

EPITAPHIVM

Illuſtri Heroi

IOSEPHO SCALIGERO

I. CÆSARIS FILIO,

ὡς ἀπὸ τοῦ νεκροῦ.

Ὦ ξεῖνος, τί τοσοῦτον ἐπείγεαι; εἴσιδε σῆμα
Τοῦτο, καὶ ἡμετέρην μάνθανέ μοι γενεήν.
Σκαλανῶν γόνος εἰμὶ περικλυτός· εἰμὶ δὲ τέκνον
Καίσαρος· εἰμὶ θεῶν αἷμα, καὶ ἡμιθέων.
Οἱ μὲν ἐμεῦ πρόγονοι, βασιλεύσαντο ἔθνος, ἐπ' ἀρχῇ
Βηρώνης ζαθέης ἦσαν ἀνακτείῃ
Εὐχόμενοι μέγα δή τι καὶ οὐ φατόν· εἰσόκεν αὖ τις
Ταῦτα τὰ τῶν σκήπτρων ὄλβια καὶ μεγάλα
Ἢ κρονίδης, ἢ μοῖρα πολύτροπος ἂψ ἀπὸ χειρῶν
Ἡμετέρων αὔτως τηλόθι κιδνάμενα
Ἢ ἔρα πῇ κατέκρυψεν, ὅθεν πάλιν εἰς κλυτὸν οἶκον
Ἡμέτερον νοσεῖν ἐκ διὸς οὐ θέμις ἦν.
Αἱ δ' αὖ πιερίδες μοι, ἐμαὶ θεαὶ ἄλλό τι σκῆπτρον
Σκῆπτρον ἔδον μούνων ἄξιον ἀθανάτων·
Σκῆπτρον τῷ ὑπὸ πάντες, ὅσων φρένας ἀμφιδέδηεν
Ὁ γλυκὺς ἀρχαίης ἵμερος ἰδμοσύνης,
Ἐγκλιδὸν ἡμετέροις ποτὶ γούνασιν ὀκλάζοντες
Μουσάων λιπαρὰς ἐξετέλευν θέμιδας.
Τοῦτό μοι οὐδὲ θεῶν τις, οἳ οὐρανὸν εὐρὺν ἔχουσιν,
Οὐδέ τις ἁρπάξας εὔξατο τῶν χθονίων.

Ἀλλὰ καὶ εἰν ἀΐδαο τὸ νῦν ἔτι λείψανα πολλῆς
Ἐστί μοι ἐκ τιμῆς ταῦτα πανυστάτια.
Καὶ σὺ μὲν, ὦ ξένε, χαῖρε τὸ μυρίον· ἢν δέ ποτ᾽ ἔλθῃς
Ὕστερον εἰς λίμνην τὴν ἀχερουτιάδα,
Σκαλανοῦ μέγαν υἷα σὺν ἀφθίτῳ εἰσέτι σκήπτρῳ
Τῇ καὶ τῇ φοιτᾶν ὄψεαι ἐν φθιμένοις.

PETRVS CVNÆVS.

In Natalem annum Illuſt. V.

IOSEPHI SCALIGERI

cIɔ. Iɔ. XL.

qui tanto æſtu nobilitatus fuit, vt pleriſque calidioribus locis vineæ fuerint exuſtæ.

CVM *primum illuxit* IOSEPHVS SCALIGER *orbi,*
Et didicit tellus ſidera poſſe pati,
Obſtupuit Phœbus, Valeantq; & currus & Æther,
Qui lucem (dixit) conferat, alter erit.
Dum pauet, & lumen venturum hoc inuidet aſtris,
Exciderunt trepidâ flammea lora manu.
Deflexit currus, doluitq; incendia mundus,
Et cœli damnum ſenſit aduſta Ceres.
Nunc quoque ne metuas genitor radiate diei,
Vt poßint Soles ſidera ferre duos.

Non

Non petit hic currus, ſed quos dum naſcitur ille
Non benè flectebas ire docebit equos.

ALIVD.

Hoſpes qui Batauas poſthac luſtrabit Athenas,
Et tot diuinis mœnia clara viris,
Dum ſpectat tumulum, ne nos miretur ab illo.
Nil præter cineres continet iſte locus.
Semidei Manes non hac tellure morantur,
Nec capit immenſos tam breuis vrna Deos.
Proſiluit buſto, & Diuûm conuexa ſecutus,
It rerum dominos Spiritus inter auos.

ALIVD.

Aſtrorum proceres, ſuperis gens addita Diuis,
Queis regitur cœli curia ſumma viris,
Queis pietas, queis ſancta fides, caſtiq́ penates,
Et ſemper magnis æmula vita Deis,
Sublimem faciles patefecit ad æthera greſſus,
Et ſuperos inter fecit habere locum,
Accipite hanc animam, non eſt ſibi conſcia culpæ,
Et negat vllius criminis eſſe rea.
Accipite, & cœlo det mollia iura volenti,
In terris doctas rexerat illa Deas.

IANVS RVTGERSIVS.

IVDICIA
DE IOSEPHO SCALIGERO
ex infinitis pauca.

IACOBVS AVGVSTVS THVANVS
Hiſtor. lib. XIV.

Ex quibus (Iulij liberis) vltimus hodie ſuperat Ioſephus Iuſtus Scaliger, qui ſecundum patrem nunc inter literatos & in re literaria principem ſine controuerſia locum tenet, vere eruditorum *Phœbus*, vt politiſſimi ingenij vir eum indigitauit. de hoc plura vt dicam, nec pudor eius patitur, nec per ingentia ipſius erga me merita licet; quanquam minime vereor, ne propterea minus vera de eo prædicare videar; cum quicquid dixero, opinione omnium vero minus ſit. ſed potius eſt vt tanti viri nomen per tranſennam appellaſſe contenti, cultum, quo diuinum eius ingenium cum rara morum probitate coniunctum, pro iure amicitiæ, quæ mihi cum illo intercedit, proſequimur, venerabili ſilentio, vt in ſacris fieri amat, obſignemus.

ISAACVS CASAVBONVS *Prolegomenis in Epigrammata Martialis a Scaligero Græce conuerſa, inter alia.*

SIC enim iampridem omnibus bonis & vere doctis eſt perſuaſum, ſalutem, dignitatem, decus, maieſtatem denique meliorum literarum, in tua propemodum vnius ſalute verti: in tua induſtria & præſidio niti. Ac licet lucubrationum tuarum is fere ſit genius, vtique earum, in quibus vela pandis, & toto ingenio veheris, vt imperitos ab ſe alienent, ſolos eruditos in familiaritatem admittant: quorum vt quiſque plurimarum eſt literarum, ita plurimum illis delectatur, maximeque illa miratur: omnium tamen, indoctorum pariter & docto-

rum, qui modo non plane depuduerint, conſtans & conſentiens hæc opinio eſt: vnum te noſtro ſæculo extitiſſe, qui omnes literarum partes ingenij beatiſſima vbertate, non ſolum ſis amplexus, verum etiam mirifice excolueris: vnum, cui tota Muſarum ſacris operatorum cohors aſſurgat: cui principes Muſici cœtus faſces ſubmittant: quem propter inexhauſtam, & tantum non humanum captum ſuperantem reconditæ doctrinæ copiam orbis terrarum mirabundus ſuſpiciat. &c. *Vide totam epiſtolam, quæ huic vni rei deſtinata eſt.*

Prolegom. in Athenæum.

VEL vnus ille Hercules Muſarum Ioſephus Scaliger, quam multa apud Tibullum, Propertium, & Manilium, mire perturbata nitori priſtino hac ratione reſtituit? &c.

E Commentar. ad Theophraſti characteres.

SED de his conſulat lector vnicum illud ſæculi decus, Ioſephum Scaligerum, in operis magni primo libro.

Lib. de Rom. Satira II.

VT ante nos admonuit Sol ille vnicus doctrinarum & eruditionis, Ioſephus Scaliger. *Vide eundem ſexcentis locis.*

IVSTVS LIPSIVS *Epiſt. Quæſt. lib.* III. *Ep.* XV.

CVIACIVM Lutetiæ eſſe audio: eodem venturum Scaligerum. Hui! quam pulchra occaſio, ſi tempora concederent, ſemones illos coniunctim ſalutandi! Moriar niſi pluris mihi fuerit illos II. viros alloqui, quam Romanum conſulem videre triumphantem.

Lib. IV. *Epiſt.* XXV.

SED maioris operæ ſunt libri de iure ſcripti. Si vt Cuiacius, Briſſonius, & ille flos doctorum ius tractant, fortaſſe fatebor: ſin vt ipſi, pernegabo. Et fremant licet, maioris ingenij,

 doctri-

doctrinæ, iudicij eſt vnus Turnebi aut Scaligeri libellus, quam iſtorum mille centones.

EODEM *lib. epiſt.* XX.

TEN' quærere quid ſentiam de Scaligeri Feſto? ego vero quod de ſcriptis eius omnibus, nil poſſe diuinius. ſic enim loquendum, quotiens de Scaligero. quem profecto omnes Muſæ

—— *καὶ ὁ Δάλιος ἠγάπευν Ἀπόλλων.*

quam multa ille noua, quam multa vetera, non lecta, non viſa, non audita aliis depromit! Dæmonium hominis. Et quid tergiuerſamur, nos ceteri volamus ſicut vmbræ.

Lib. Elect. II.

Quod primus nos docuit literatorum rex Scaliger.

Cent. Epiſt. I. VI.

AQVILA in nubibus, quod Græci dicunt, vere tu es: vides, imo peruides omnia; & quicquid venaris, capis.

Alibi.

MANILIVM legi miſſu tuo & Legati Boesbekij. quid quæris? Supra vulgum & hoc ſæculum opus, vt omnia tua. Nænia Græcorum de te vera eſt, Aquila in nubibus.

Ibid. epiſt. XIII.

SED quis Polydamas auſit illum Hectorem? qui Dîs hominibusque fauentibus tenet profecto, & tenebit hoc regnum. Itali eum quî deiiciant? ſilent.

Ibid. epiſt. XXI.

SCALIGERI ad Auſonium en tibi. o virum, o filium a patre magno magnum!

—— merito cui doctior orbis
Submiſſis defert faſcibus imperium.

Enim-

Enimuero ille vnus eſt, quem miramur, quem æmulamur, imo ne mentiar, cui inuidemus. Felicem Galliam hoc ſole! cuius claritas non ad eos ſolum qui nunc ſunt, ſed ad poſteros diffundetur, quamdiu quidem erit in terris nomen literarum.

Idem alibi.

SCALIGERI ingenium grande & capax, diffuſum per omnes artes. mirificus ille vir eſt, & quem Homeri verbis iure appelles, δαΐφρονα ποικιλομήτην.

Ad Taciti Annal. lib. XIII.

DE ficu Ruminali & Nauiâ digna lectu Scaliger in Feſtum, illuſtriſſimum ingenium noſtri æui.

Ad lib. XV.

VT ante me vulgauit magnus filiarum Mnemoſynes antiſtes. *Vide eundem aliis quamplurimis locis.*

Hæc & infinita alia alibi. ſequuntur quæ Louanij ſcripſit, Lipſij potiſſimum ipſius cauſa, quem nonnulli grauant, quaſi aliter de Scaligero ibi eſſet locutus. qui ſi verum dicerent, non poſſent, quin cui viro debitam eruditionis laudem tribuunt, ei probitatem ac candorem detraherent.

Cent. Epiſt. ad Germanos & Gallos, XVI.

MVNVS libri tui, mi Scaliger, accepi, ex quo memoriam mei vigere apud te & video & lætor. Nam de me quid dicam? Ita maneant, aut fiant mihi, quæ optem, vt tu & tua mihi ſemper magna, nec affectum aut iudicium illud muto. Nos quoque ſulcos ducimus, ſed in puluere minus erudito.

Ibid. XXXII.

EN tibi Admiranda noſtra, mi Scaliger, heu quam diuerſum a tuo munus! Tua vere talia ſunt, noſtra titulum habent, quo tamen apud populum fas ſit vti. Populum, inquam, quid enim negem? vobis paucis vix hæc ſunt ſcripta. Si legis, bene-

ficium eſt; ſi cenſes, voti ſumma. Atque vt cenſeas, & mea cauſa id velis, rogo. O quam ſæpe mihi in mente inuidere iſtis, quibus coram conſilio, iudicio, doctrinâ tuâ fas vti! & in eorum ſcriptis veſtigia notamus maioris cuiuſdam pedis.

Ibid. LIX.

MANILIVM tuum libens vidi, auide cœpi legere, & perlegam vt ſoleo tua. Omnia me intellecturum, minus arbitraturum, ne exiſtima. Vos in igneas cœli arces itis; nos humus noſtra tenet, aut certe non ita altum ſubuolamus. A deo hæc partitio eſt,

——— ὥστε δίδωσιν
Ἀνδράσιν ἀλφηστῆσιν, ὅπως ἐθέλῃσιν, ἑκάστῳ. &c.

Alibi.

SI bene me noſſes, quam ſcires ſcire me aliquid velle, ſed & quæ neſcio diſcere! & a te diſcere, quem communem doctorem non dedignetur & agnoſcat in multis Europa.

FINIS.

LE-

LEGATVM A IOSEPHO SCALIGERO BIBLIOTHECÆ PVBLICÆ LVGDVNENSI BATAVÆ relictum.

LIBRI

GRÆCI MSS.

HEBRAICI.

CHALDAICI.

SYRIACI.

ARABICI.

ÆTHIOPICI.

PERSICI.

ARMENIACI.

LIBRI
quos IOSEPHVS SCALIGER edendos amicis reliquit.

LIBRI DE EMENDATIONE TEMPORIS, aucti plurimum & emendati.

MANILIVS magna parte auctior.

CATVLLVS, TIBVLLVS, PROPERTIVS auctior, & caſtigatus.

POEMATA, quorum alia ſparſim edita ſunt, alia nondum lucem viderunt.

Hos cum Iulij Cæſaris Scaligeri in Ariſtotelis De Hiſtoria animalium libris, Danieli Heinſio; CHRONICON autem Euſebij, R. V. Franciſco Gomaro, locis infinitis auctum & emendatum; edendum reliquit. Reliqua aut inchoata aut penitus abſoluta, ſeruari in publica Bibliotheca voluit.



IULIUS CAESAR SCALIGER.

IANI DOVSÆ F.
in effigiem
IVLII CÆS. SCALIGERI.

INGENIVM *cui Dîs, & mens contermina cœlo,*
Cuncta vnus, cunctos qui ſuper vnus eras,
Muſarum pater, & dextræ par fulmine Marti,
Dum pariter tractas ſingula mente pari,
Quem rerum omnigenas natura exquirere vires
Non docuit, à quo docta ſed ipſa ſuas.
Æmule Naturæ, meta & ſpes vltima rerum;
Dicere quem totum fama nec ipſa poteſt;
Qui mundum impleſti, imple animo mea verba, teneri
Humanâ modò mens ſi tua mente poteſt.
Sed neque te mens noſtra capit; veſtrasque tacere
Nulla valet laudes lingua, vel exprimere;
Ipſe tuos niſi, queîs Nati intra pectora viuis
Poſt obitum, aſpires in mea vota Deos:
Vt Famæ momenta, tuo quæ lumine maior
Facta volat, poſſit lingua-ve mens-ve ſequi,
Dia quæ inacceſſæ excipiant incendia mentis,
Et lucem a tanto conſpiciant animo.
Sed non mortales hebetantia fulgura viſus,
Non aciem ingenij hanc lumina noſtra ferunt.
Nec fas ſit mihi plura, ſed hoc fas ſit mihi tantum
Dicere; te niſi tu dicere nemo poteſt.
Quid mirum? Natura loqui nam deſtitit ipſa,
Illa tuo poſtquam deſtitit ore loqui.

FINIS.

ORATIO FVNEBRIS

Dicta honori & memoriæ
maximi virorum
IOSEPHI IVSTI SCALIGERI.

Auctore
D. BAVDIO I. C.
*Et Hiſtoriarum in Illuſtri Academiâ
Lugdun. Batavo. Profeſſore.*

LVGDVNI BATAVORVM.
Proſtant apud Ludov. Elzevirium,
& Andream Cloucquium.
Anno 1609.